MASTER NEGATIVE
NO. 93-81451-11

AUTHOR:

HAECKERMANN, ADOLF

TITLE:

COMMENTATIO IN AENEIDIS LIBRUM...

PLACE:

GREIFSWALD

DATE:

[1863]

Master Negative #

93-81451-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Haeckermann, Adolf, b. 1819.
...Commentatio in Aeneidis librum alterum scripsit A. Haeckermann... Greifswald, Kunike, [1863]
32 p. 26 cm.

At head of title: Zu der oeffentlichen pruefung der schueler des Staedtischen gymnasiums und der damit verbundenen Realschule zu Greifswald am 30. und 31. maerz 1863 laden... ein der director und das lehrercollegium...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6/2/93
INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ZU DER

OEFFENTLICHEN PRUEFUNG

DER SCHUELER

DES

STAEDTISCHEN GYMNASIUMS

UND DER DAMIT VERBUNDENEN REALSCHULE

ZU GREIFSWALD

AM 30. UND 31. MAERZ 1863

LADEN EHRERBIETIGST UND ERGEBENST EIN

DER DIRECTOR UND DAS LEHRERCOLLEGIUM.

INHALT:

GREIFSWALD.

DRUCK DER KOENIGL. UNIVERSIT.-DRUCKEREI VON F. W. KUNIKE.

1863

„Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum."
Hor. Ep. I, 6, 68.

Quod decem abhinc annis a nobis factum est, ut edendi programmatis opportunitate uteremur ad illustrandos Vergilii locos, idem etiam hoc tempore faciemus, jam redeunte officio, Fastos gymnasii nostri anniversarios aliqua commentatione inaugurandi. Neque verendum sit, ne cuiquam sumpsisse videamur materiam, aut ampliori disceptatione non satis dignam, aut rei scholasticae minus convenientem, aut jam penitus ab aliis exhaustam. Primum enim constat inter omnes, qui in hoc litterarum genere versati sunt, summum fuisse Romanorum poetam Vergilium communi antiquitatis judicio, cujus apud nostrates quoque magna et solet et debet esse auctoritas. Est autem incredibile dictu, quanta fuerit vel aequalium veneratio vatis Mantuani. Amicus vel familiaritate conjunctus erat plerisque poetis sui temporis, dilectus (Hor. Ep. II, 1, 149) Caesari Augusto, universo autem populo tam acceptus, is ut (Dial. c. 13) versibus ejus auditis in theatro surgeret praesentemque et spectantem veneraretur quasi Augustum. Et candida Vergilii anima ut ipsa ad se trahebat hominum studia, ita, quae tractabat argumenta, admodum placere popularibus suis necesse erat. „Quid enim," ut Paldamus dixit „de imitatione Horatii" p. 2 „blandius ad audiendum inveniri potuit, quam rusticae vitae intonsis Cethegis tanto opere adamatae ipsiusque Italiae laudes, etiamsi ultra modum elatae videri poterant? Quid aures potentium pariter ac pullatorum efficacius mulcere, quam memoria illustrium gentium fictarumque, quibus superbire solebant, originum et praeconia populi togati rerum dominos sese habentis aut haberi cupientis"? Quapropter ingenti favore statim ab initio carmina ejus excepta sunt. Vel Bucolica tali successu edita esse, ut in scena per cantores crebra pronuntiatione recitarentur, Donatus c. XI. §. 41 auctor est; et Georgicorum tanta fuit aestimatio, ut, qui postea de eodem argumento pedestri sermone scripserunt, Columella et Plinius saepissime sua colendi agri praecepta Vergilii versibus integris vel confirmarent vel exornarent. Summa tamen admiratione Romani Aeneidem amplexi sunt, qua nullum Latio clarius exstare opus dictitarunt. Magno desiderio id carmen exspectatum fuisse, docent nobiles illi versus Propertii II, 34, 65 „Cedite Romani scriptores, cedite Graji: Nescio quid ma-

jus nascitur Iliade"; quin etiam Augustum, quum in expeditione Cantabrica abesset, litteris flagitasse, ut poeta carmen maturaret ipsique mitteret, Macrobius Sat. I, 24 et Donatus §. 46 tradidere. Compluries apud Nasonem (Rem. v. 396. A. A. III, 337. Trist II, 533. Ep. ex Ponto III, 4, 84) „nobile epos" vel ipse „felix Aeneidos auctor" vel „summus Aeneidos vates" laudibus effertur. Felicissimis votis Venusinus Od. I, 3 navem prosequitur, qua ille vectus est in Graeciam, et „Reddas incolumem" precatur a versu septimo „Et serves animae dimidium meae"; eundemque Sat. I, 5, 40 inter animas recenset, quales neque candidiores Terra tulerit, neque quibus se sit devinctior alter. Praebet autem Horatius se non solum Vergilii amicum, sed etiam Vergilianae poesis facundum laudatorem. Ait enim Sat. I, 10, 45 „molle atque facetum Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae", una, opinor, Bucolica et Georgica in animo habens; et infra v. 81 Vergilium iis adnumerat, quorum assensionem sibi suisque carminibus exoptatam fore confitetur. In Arte Poetica autem v. 55 „egregium sui aevi poetam" contra priscos Caecilium et Plautum ponit. Inde Vergilius princeps sine dubio Romanorum poeta et Homero proximus haberi coeptus est, nec ullus exstitit poeta, quin diligenter ejus poemata legeret et ad imitationem sese conformaret. Prae ceteris omnibus exemplar ejus sequi par erat, qui in eodem poesis genere elaborarent. Lucanus quidem, si fidem meret quae Suetonio adscribitur Vita, tantae levitatis et tam immoderatae linguae fuit, ut in praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans auderet dicere „Et quantum mihi restat ad culicem?" At modestior Statius in fine Thebaidis XII, 816 non aemulum sed imitatorem sese profitetur „Nec tu divinam Aeneida tenta, Sed longe sequere et vestigia semper adora." In Vergilii laudem Silius VIII, 593, ubi Mantuae commemoratio fit, duos versus interposuit: „Mantua Musarum domus atque ad sidera cantu Evecta Aonio et Smyrnaeis aemula plectris"; eundemque scimus e Plinii Epist. III, 7 narratione Mantuani natalem religiosius quam suum celebrasse, Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire ut templum solebat. Jam frequentes eo tempore erant Vergilii statuae vel imagines, non solum in privatorum villis, ut ibidem de Silio legimus, verum etiam in bibliothecis publicis. Hujus rei testimonio est, quod inter manifesta quum malignitatis tum superbiae C. Caesaris exempla Suetonius c. 34 refert, cogitasse eum non modo de abolendis Homeri carminibus, verum etiam Vergilium ut „nullius ingenii minimaeque doctrinae" carpere solitum esse, et paulum abfuisse, quin scripta illius et imagines ex omnibus bibliothecis amoveret. Contra Neronem eatenus saltem studiis Vergilianis deditum fuisse legimus apud Suetonium c. 54, ut saltare Turnum constitueret. Ut autem vivus poeta inimicos habuit, qui carmina ipsius insulso acumine tangerent, sic etiam mortuus aliquot obtrectatores vel inter Caesares nactus est. Praeter Caligulam enim, quem invidisse veri simile est Vergilio famam ac gratiam qua florebat, Hadrianus, quum vetustum dicendi genus amaret, Vergilio Ennium praetulisse eademque jactatione de Homero ac Platone judicasse a Spartiano c. 16 narratur. Quantum ab hoc distat Alexandri Severi judicium, quem Lampridius c. 31 prodit et Vergilium vocasse „Platonem poetarum" et imaginem ejus cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuisse, ubi et Achillis et magnorum virorum. Nec Martialis umquam „magnum" vel „summum" vel „immensum" vel „aeternum" Maronem sine laude dimittit (I, 62. III, 38. IV, 14. V, 5. 10. 57. VII, 28. 62. VIII, 18. 36. 56. X, 21. XI, 49. 51. 53. XII, 4. 68. XIV, 57. 75. 108. 185. 186.

195); et Juvenalis VII, 53—69 verum praedicat ac germanum vatem. Quin etiam in muliebribus deliciis fuisse poesis Vergilianae lectionem et dijudicationem, docet ille in Satira sexta, ubi a versu 434 inde feminam queritur, „quae cum discumbere coepit Laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae, Committit vates et comparat, inde Maronem Atque alia parte in trutina suspendit Homerum". Contra in suo convivio conditorem Iliados cantatum iri Persico ipse pollicetur Sat. XI, 180 sqq. atque „Maronis Altisoni dubiam facientia carmina palmam", tralaticiae illius inter Graecum et Romanum comparationis arbiter, populari haud dubie justo faventior. Nec a poetis tantum, sed etiam a scriptoribus Vergilio suus habebatur honor. Simplici praeconio „principem carminum" eum Vellejus Paterculus II, 36, „excelsum vatem" Ammianus Marcellinus XV, 9, 1 vocat; Seneca autem, summus ille philosophus, in Consolatione ad Polybium XXVI, 6 Homerum et Vergilium ait bene meritos esse de genere humano. Multiplex etiam sequioris aetatis scriptorum laudatio ut Gellii XX, 1. Apuleji Apol. p. 279 Elmenh. Frontonis p. 453 Muell., insignis Macrobii (in Somn. Scip. I, 6. 15. II, 5. 8. Sat. I, 16. 24. II, 15) veneratio. Quid multa? Maronem antiqui colebant ut alterum Homerum; qui tamen vel judice Vellejo I, 9 „magnitudine operum et fulgore carminum" solus appellari Poeta meruit. Audiamus denique, quid judicaverit Quintilianus X, 1, 85 „Ut apud illos Homerus, sic apud nos Vergilius auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum, Graecorum nostrorumque, haud dubie proximus .... Secundus est Vergilius, propior tamen primo, quam tertio. Et Hercule ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus." Quod autem propter tot ac tantas Vergilianae Musae virtutes Ovidius Am. I, 15, 25 pronuntiavit „Tityrus et Segetes Aeneïaque arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit": id etiamnunc stat, postquam caput orbis esse dudum Roma desiit.

Uberius, quam vellem pro hujus libelli ambitu, de magna Vergilii apud omnes antiquitatis scriptores auctoritate dictum est. Nec ideo tam longus fui in laudandis eorum locis, ut eruditionis atque doctrinae copiolas quasdam ostentarem; sed quo data hac occasione tironibus, in quorum maxime usum haec scripsi, ex ipsis veterum testimoniis pernotesceret Vergilii gloria, quoque ipsi alacriores fierent ad legenda talis tantique poetae opera. Accedit quod vix alius scriptor per longam saeculorum seriem scholastica studia magis exercuit. Ut primum enim illuxit Mantuani ingenium, per Grammaticos scripta ejus in scholarum usum transierunt; ac magis magisque invaluit sententia, poetam esse praeceptorem et quasi speculum virtutum Romanarum, eundemque et ei, qui rempublicam capessere, et illi, qui omnino vitam sapienter instituere ac cum dignitate degere vellet, longe utilissimum. Primus, si Suetonio de Ill. Gram. c. 16 fides habenda, Q. Caecilius Epirota, libertus Attici, ad quem sunt Ciceronis epistolae, Vergilium et alios poetas novos praelegere coepit, unde lepide eum Domitius Marsus „tenellorum nutriculam vatum" vocasse ibidem traditur. Nec injucunda memoratu sunt Aquinatis verba, qui Sat. VII, 226 Horatii et Vergilii libros ita teri consuevisse ait puerorum manibus, ut nonnunquam „totus decolor esset Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni." Cecinisse sese discipulum „Vergilianos versus magistris praelegentibus" Macrobius Sat. I, 24 memorat, quem ultimo antiquitatis saeculo vixisse scimus, necnon aequalis, sed Christianus, Oro-

sius I, 18 „Aeneas qualia per triennium bella excitarit, ludi litterarii disciplina“ memoriae suae inustum esse asseverat. Grammaticos autem in praedicandis et adhibendis Vergilii scriptis excepere Rhetores, quum materias inde sumerent vel suasorias vel controversias ad declamandum. Exigebatur enim, ut Tacitus vel qui auctor est Dialogi c. 20 testatur, ab oratore etiam poeticus decor, ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus. „Horum igitur“, addit ibidem, „auribus et judiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior exstitit“; quamquam fuere, qui Vergilii ut Ciceronis gloriam detrectarent (c. 12) vel etiam, ut Lucilium pro Horatio, sic Lucretium pro Vergilio legerent (c. 23). Solebat teste Seneca Suas. III. ex Vergilio Fuscus multa trahere, ut Maecenati imputaret, et gaudebat fere pro Scholiasta Vergiliano censeri. Nec non Titianus et Calvus themata omnia de Vergilio elicuisse et conformasse ad dicendi usum a Servio in Aen. X, 18 memorantur. Et laudat maturam Vergilii tractationem Quintilianus, homo integerrimi judicii, Inst. Orat. I, 8, 4: „Cetera admonitione magna egent; inprimis ut tenerae mentes tracturaeque altius, quidquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo, quae diserta, sed vel magis, quae honesta sunt, discant. Ideoque optime institutum est, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet, quamquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore judicio opus est; sed huic rei superest tempus, neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat et ex magnitudine rerum spiritum ducat et optimis imbuatur“. Nec minor fuit apud scriptores Christianos per totum fere aevi quod vocant medii decursum Vergilianae Musae commendatio. Juvat ante omnia Augustini verba huc transscribere: „Virgilium pueri legant, ut poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus, teneris imbibitus annis, non facile oblivione possit aboleri“. Quod autem illi persuasum fuit, quem communi quodam praeconio Sanctum appellant, id vel hodie valet; optimeque et ipsi institutum esse gloriamur, ut in nostris gymnasiis provectiores aetate et ingenio adolescentes legendis Vergilii carminibus per biennium fere continuo operam dent.

Quo major autem et fuit olim et etiamnunc est carminum Vergilianorum aestimatio quoque frequentior in scholis usus, eo magis nostra interesse debet, ut ad pleniorem eorum cognitionem adolescentes perveniant. Habere tamen suam difficultatem Vergilii poemata, dudum intelligi coeptum est; ac verissime illud Quintilianus notavit, ad intelligendas Homeri atque Vergilii virtutes firmiore opus esse judicio. Nec omitti debet, Aeneidi ultimam defuisse limam, quum moreretur auctor, priusquam extremum perpoliendi laborem adhibuisset. Hinc vero quantum detrimenti ceperit operis perfectio, ex iis cognosci potest, quae secundum Gellii XVII, 10 testimonium ipse poeta de ingenii sui proprietate quadam narrare solebat. Et reperiuntur haud dubie in illo carmine, quae videantur retractari et corrigi debuisse; ac laborat hic illic ambiguitate vel obscuritate dictio. Non mirum igitur, quod jam inde antiquitus exstiterunt, qui in explicandis carminibus industriam suam collocarent. Et recentiori quidem tempore firma utique ac solida interpretationis fundamenta Heynium jecisse, omnes consentiunt; ejus autem exemplum permulti subinde secuti sunt. Nec defuere intra hoc decennium, ex quo primitias studiorum meorum edidi, qui in recensendo vel enarrando Vergilio laudabilem operam ponerent. Prodiit enim subsequenti anno Lipsiae duplex editio stereotypa, altera Weisii, altera Paldami, quem praematura morte interim quum litteris tum gymnasio nostro abreptum esse dole-

mus. Neque segnes sese praestiterunt Forbiger, Ladewig, Wagner in iterandis et corrigendis editionibus suis; quorum ultimus multa insuper in novam disceptationem vocavit „Lectionibus Vergilianis“ Philologo Suppl. I. 3 insertis. Hauptii operam navatam esse Vergilio, gavisi sunt omnes et gaudebunt, qui quantum summi viri acumen sit, satis cognitum habuere. Agmen vero, quod sciam, clausit egregium Ribbeckii opus, nondum omni parte absolutum, quod ideo maxime gratissimum mihi esse profiteor, quia redintegrata librorum MSS. perscrutatione nititur. Quorum omnium de Vergilio merita nemo sane me lubentius agnoscere potest; at ne nunc quidem tantum praestitum esse puto, ut jam lente acquiescere liceat. Ne quis autem in re critica me nova moliri opinetur; nam mihi quoque ut recentioribus plerisque persuasum est, maxime e Mediceo constituendum esse textum, licet Codici non tantam deberi fidem crediderim, ut usque quaque sequi eum fas sit. At in explicatione multifariam a vulgari ratione recedendum mihi quidem videtur; et quando, praeclarissime ut Wagner in praefatione tertiae editionis dixit, sat Trojae Priamoque datum esse gloriabimur? Licet enim eorum locorum numerus, ubi plane nova explicandi ratio circumspicienda sit, non adeo magnus est, de permultis tamen certarunt inter se eruditi; nec dum lis sub judice esse desiit. His igitur potissimum operam meam qualemcunque dare constitui, quum ad plenam et perfectam cognitionem, nisi conjunctis multorum studiis, perveniri nequeat. Secundum Aeneidis librum elegi, quod is praesertim ob continuam de Trojae excidio narrationem a tironibus lectitari solet. Ceterum nonnulla eorum, quae a me nunc proferentur, jam ante in ephemeridis quibusdam philologicis vulgata esse, non est quod dissimulem; vere tamen affirmare possum, nullum non locum ita retractatum a me et secundis curis pervestigatum esse, quasi omnino non exstarent illae commentationes; id quod diserte hic monendum duxi, ne quis rem actam denuo egisse me suspicetur.

His praemissis ad ipsam rem transgredimur; initium autem disputationis fiat a primo libri versu Conticuere omnes intentique ora tenebant, quem non legere aut interpretari aliter, atque prioribus placuit, sed acrius excutere in animo est, quo, quae vera sit sententia, magis etiam eluceat. Duplicem sensum habet, ut in Muetzellii Annalibus R. G. XI. p. 739 ostendi, loquutio ora tenere; alterum eumque vulgarem omnes adhuc nec injuria amplexi sunt, alterum ne verbo quidem attigerunt. Reperitur autem non solum de iis, qui alios vel loquendo vel clamando prohibent (Lucan. IV, 440. Ovid. Met. IX, 515), sed etiam de ipsis tacentibus apud Lucanum IV, 172 „Tenuere parumper Ora metu; tantum nutu motoque salutant Ense suos. Mox .... Hospitis ille ciet nomen, vocat ille propinquum.“ Jam vertere quis audeat „Alle zumal verstummten und hielten (auf die Erzählung) gespannt den Mund“; nec adeo offendere debet repetitio, nam jungit Cicero Brut. 94 „conticuit et obmutuit“, et ipse Vergilius sat verbose in narrationis exitu III, 718 „Conticuit tandem factoque hic fine quievit“. Intolerabilem igitur esse hanc novam explicandi rationem, vix crediderim: at certe magis arridet altera eaque usitata, quod vividius sic „tacita exspectatio“, ut Ciceronis Cluent. c. 23 dicto utar, depingitur; ac frequentior tali sensu loquutio ora tenere (VII, 249. VIII, 125. Val. Fl. IV, 324). Jam de epitheto intenti videamus. Cum Servio H. II. p. 265 „habebant vultus et oculos intentos et conversos in Aeneam“; maluerunt Th. I. p. 121. G. p. 58. F. II. p. 134. K. III. p. 31 ipsam exprimi intentionem animi. Sed vix quidquam discriminis est inter VII, 249 „de-

fixa tenet ora“ et VIII, 520 „defixique ora tenebant“; et indiget phrasis supplemento. Arctissime igitur participium cum sequentibus cohaeret. Alia ac diversa ratio est loci III, 716, ubi intentus nude ponitur. Quid multa? In ipso ore, recte ut Wagner ed. III. p. 151 ait, apparebat intentio.

Gravior quaestio est de v. 3—8 Infandum, regina, jubes renovare dolorem, Trojanas ut opes et lamentabile regnum Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi, Et quorum pars magna fui. Quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi Temperet a lacrimis? Quae fusius alibi (Muetzell. VI. p. 263) a me disputata sunt, in arctiorem gyrum contracta hic dabo. Vulgo post dolorem comma ponitur, quum sequentia Trojanas ut .... fui proxime antecedentibus habeantur obnoxia; at me offendit, qui statui solet nexus. Profecto enim multo plus ponderis habet quum versus, tum quod in exordio stat Infandum, si post dolorem abscinditur sermo, ita ut haec oriatur vel dictio vel exclamatio: „Unsäglichen Schmerz, o Königin, befiehlst du zu erneuern“! Similiter Statius Theb. V, 28 „Immania vulnera, rector, Integrare jubes“ et Seneca Agam. v. 416 „Acerba fatu poscis. Infaustum jubes Miscere laeto nuntium“. Huc accedit quod, qui enunciatio interrogativa ut eruerint Danai et relativa quaeque vidi et quorum pars fui pendeat ex praecedentibus, prorsus non video. Ait Wyttenbach Ecl. Hist. p. 454 verbis renovare jubes contineri narrando, et secundum hanc sententiam H. II. p. 265 ut pro narrando ut dici voluit, eandemque ellipsin plurimi dein statuerunt; sed nihil aliud est renovare dolorem nisi iterum dolere (Ovid. Met. XIV, 465). Sic autem particula quod sequi debebat. — J. p. 454 verborum rationem ita constituit: Jubes renovare dolorem i. e. ut eruerint Danai Trojanas opes et ea quae ipse vidi et conferri jubet Ecl. VI, 31. 65; neuter tamen huc quadrat locus, nam in utroque verbum canere diserte additur. — Paulo obscurius Th. I. p. 122 ut eruerint accuratioris instar definitionis accedere ad dolorem et quaeque vidi et quorum fui pars affirmat, nec raro ita mutari constructionem, ut aut a particula ut ad substantivum aut a substantivo ad infinitivum vel relativum transeat sermo, praesertim in oratione obliqua. Loci tamen ab eo allati diversi generis sunt; nam ubique verbum dicendi exstat in textu, quod desideratur apud Vergilium. — Secundum Jahnii auctoritatem L. II. p. 34 „Ex verbo renovare“ inquit „una et accusativus dolorem et relativa enunciatio quaeque i. e. et ea quae pendet; dolorem autem non solum accusativus cum infinitivo sed etiam interrogatio obliqua sequi potest“. Sed neque Vergilii Ecl. VI, 31. 65 locos neque Taciti Hist. III, 36 laudare debebat; nam ibi in verbo affertur inest notio nuntii. Ceterum diversam esse rationem substantivi dolorem et enunciati quaeque .... fui, vel sua quisque sponte intelligit. — Vacillante judicio W. p. 151 „renovatur dolor Aeneae narrando casus Trojanorum; itaque ut ponitur, quasi ipsum verbum narrandi praecederet“. Infra v. 121 „per ima cucurrit Ossa tremor, cui fata parent,“ quominus subaudiantur „quia dubitabant“, minus intercedo, nam proxime antecessit substantivum „tremor;“ et sic Statius Theb. IX, 535 „quercum nutantem nemus et mons ipse tremiscit, qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas“. Sed quid hoc ad rem? Nec alter locus IX, 66 „duris dolor ossibus ardet, Qua temptet ratione aditus et quae via clausos Excutiat Teucros vallo atque effundat in aequum“, ut taceam non verbum narrandi suppleri de-

bere, id evincit, nostro loco et interrogativam enunciationem ut eruerint et relativam quaeque vidi et quorum pars fui subjici posse substantivo dolorem. Denique prorsus alienum est, quod insuper de verbo mirari additur. Quae omnia quum ita sint, discrepans a reliquis post dolorem majori signo incidi, quo omnis dissolveretur nexus, contra, quod vulgo post fui punctum ponitur, in comma vel signum quod vocant abrupti sermonis mutavi, quo talia fando ad priora referre liceret. Cum gravitate sic ea praemittuntur; aptissime autem et enunciatum interrogativum et relativum complectuntur dein talia. Hanc igitur si statuamus loci connexionem, quod desideratur verbum dicendi, ipse praebet textus. Huic autem distinctioni, adoptatae postea a Ladewigo, nuper admodum gravis Hauptii p. 159 auctoritas accessit, nec Ribbeck II. p. 67 non recte sic distingui agnovit; et jam supersedere liceret disputatione de hac re, nisi a Wagnero in Lectionibus Vergilianis p. 415 me impugnatum viderem. „Ingressum“ ait „orationis, quam ejusmodi narrationi praemittimus, gravem, sedatum, simplicitate commendabilem esse convenit:“ sed hanc ipsam ob caussam post dolorem incidi debet, quo molesta subsequentium accessio praecaveatur; nam sic demum „gravis, sedatus, simplicitate commendabilis“ fit orationis ingressus. Deinde „inusitatum genus structurae, nimium animi motum indicans, quale infertur per illam interpunctionem“ eo minus, opinor, alienum ab eo tempore judicandum erit, quod, ut ipsis Wagneri verbis utar, „dolor ex amissa patria natus, Didonis voluntate modo resuscitatus, etiam acrius animum Aeneae vulneret.“ Nonne Aeneas infandum suum dolorem etiam atque etiam (lamentabile .... miserrima .... lacrimis) profitetur? Nonne vel postremo ait animus meminisse horret luctuque refugit? Ergo qui tandem de nimio animi motu loqui ille potuit? Tum cupidius quam cautius verba quaeque .... fui adversari vel maxime dicit mutationi a nobis propositae. „Utique res istae sic comparatae erant, ut vel hostibus lacrimas ciere possent; at non etiam propterea, quod Aeneas his rebus interfuit, hostibus deflendae aut etiam miserabilius deplorandae erant“. Quorsum haec? Quamquam fando (cf. v. 361. III, 481. IV, 333) recte explicat „dum fatur“, tamen quaenam Aeneae narraturo cum hostibus ratio intercedat, non intellexisse videtur, dum hostes pariter atque Th. I. p. 123 auditores sibi fingit, non ut debebat, narratores. Ne quis Myrmidonum quidem, ait Aeneas, Dolopumve aut duri miles Ulixi, qui tamen et ipsi mecum miserrima viderunt eorumque pars magna fuerunt, temperet narraturus vel narrans a lacrimis: quanto minus ego? Malim tamen equidem, quum a prima persona vidi et fui ad tertiam Quis temperet deflectat oratio, signum interrupti sermonis ponere, quam cum Hauptio et Ribbeckio comma. Tenebimus igitur interpunctionem nostram, sine probabili caussa Wagnero spretam: Infandum, regina, jubes renovare dolorem. Trojanas ut opes et lamentabile regnum Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi Et quorum pars magna fui — quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi Temperet a lacrimis?

Sequitur, ut de conjunctione praesentis cum perfecto dicamus, quam exhibet versus 12 Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit. Quod Servius ait „propter metrum pro praesenti praeteritum posuit“, aliquatenus verum sit: at excusabile tamen vel etiam probabile debet esse perfectum. Veteres in eo substiterunt, ut saepius junxisse Vergilium di-

versa tempora notarent, cumulatis cujuslibet generis exemplis: contra H. II. p. 267 refugit ad formam aoristi hic usurpari voluit „quum in re, quae per plura momenta durat, etsi vulgari usu praesens frequentetur, praeteritum tamen non minus locum habeat;" id quod nonnulli postea diserte (Ho. I. p. 71. Th. I. p. 124. S. p. 344) probarunt. Rectius alii perfectum de re hoc ipso temporis momento jam praeterita dici volunt, errant tamen in argumentando. Sic F. II. p. 136 „animus, quo tempore Aeneas incipit narrare, ut jam redierit necesse est;" loci autem Cic. pr. Mil. XVIII, 47. Tib. IV, 2, 7. Cat. LXIV, 148, aut de perfecti pro praesente usu aut de variatione temporis in eodem versu allati, huc non pertinent. Aliter G. p. 59 „Nunc, quum memoria facta est, horret animus et antea semper refugit i. e. evitavit eam sibi revocare;" sed coepit demum meminisse Aeneas nec „antea semper" in textu legitur. Ladewig autem, qui II. p. 39 germanum esse perfectum contendit, naturam ac rationem ejus latius exponere abstinuit. Interim hic ut alias ad emendationem confugit, quum de probabili explicatione desperaret, Peerlkamp I. p. 82 „Horret et refugit ita conjuncta nemo Romanus unquam acciperet aliter, quam de eodem praesenti tempore, ac refugit pronuntiaret media correpta". Ciceronem Philipp. XIV „Refugit animus eaque reformidat dicere" sic pronuntiasse, ut praesens audiretur, facile concedo; nec minus Senecam Agam. 416 „Refugit loqui Mens aegra, tantis atque inhorrescit malis", ubi Vergilium aperte expressit, usum esse praesenti apparet. Sed debebant hi ipsi veterum loci docere virum sagacissimum, melius praesens refugit anteponi praesenti reformidat vel horret ob vocis intellectum. Neque igitur felicem Vergilii imitatorem suspicor fuisse Muretum, dum in Oratione XX ait „Horret et refugit animus ea memorare". Heynii explicationem tacite reprobat Batavus; meliorem Gronovii ad Senecam Agam. 891. Troad. 1085. Hippol. 510 „simul et fit et factum est, dum narratur" libens adeo accommodaret ad hunc Vergilii locum, si exempla essent similia. In Vergilio autem exspectasse se ait vel horruit et refugit vel horret et refugit; non enim diversa esse, sed eadem: quamquam animus luctu horret et refugit meminisse. Conjicit igitur refugitque dolore vel potius luctu refugitque, neque durius id esse opinatur illo X, 505 socii multo gemitu lacrimisque, praesertim quum optimi poetae horrorem rerum horridis versibus imitari soleant. Sed interpretando, non emendando succurri debet textui. Recte monuit Freudenberg in „Vindiciis Vergilianis" Bonnae 1845 editis p. 16, uti Vergilium, ubicunque hexametros vocabulis quattuor syllabarum terminat, semper nominibus propriis vel appellativis ut Ecl. VI, 53. Ge. I, 153. Aen. I, 651. III, 464. IV, 146. VII, 398. IX, 767, verborum formis (Grotefend. G. L. p. 130) nusquam; vellem tamen, in eo non substitisset vir doctissimus. Neque quod ipse vult, perfectum hic ἀορίστως et Graecorum poetarum more ita usurpatum esse, ut res, quae in praesenti fit, tanquam facta absolutaque efferatur, probandum arbitror. Aoristum apud Graecos saepenumero significare, quae vel fieri solent vel interdum fiunt (Bernhardy Synt. L. Gr. p. 381), quin etiam jungi cum praesente, norunt omnes, qui in hoc litterarum genere aliquid studii collocarunt; sed num perfecto Latinorum aoristi loco uti liceat, vehementer equidem dubito. Qui de comparationibus ibidem afferuntur loci, minus huc pertinent, quum tempus non variet; ubique tamen perfectum verum esse ac germanum, facile evinci potest. Similius exemplum est ob temporis variationem X, 726 „leo gaudet .... comasque arrexit et haeret;"

sed hic quoque perfecto significari, quae tempore priora sunt, patet. Nec minus ibidem v. 804, „nimbi Praecipitant, omnis campis diffugit arator Omnis et agricola, et tuta latet arce viator" perfectum praesentibus interpositum vulgare est; enimvero non de diffugientibus sermo fit, sed de iis, qui jam diffugere ante ingruentem quam praeviderant tempestatem, quum obrutus undique telis, at tectus clypeo, Aeneas comparetur hic aratori vel viatori, effusa grandine alti fornice saxi tuto latenti. Adhuc igitur ne unum quidem Vergilii locum vidi prolatum, quo talis perfecti usus a Graecis repetitus firmaretur; nedum elegantiae quoddam studium poetas Romanos in eo sectatos esse existimaverim. Haud immemor sum, praeter Bentlejum ad Hor. Od. III, 23, 19, qui nescio quam perpetui temporis significationem perfecto tribuit, Walchium ad Tac. Agr. p. 104 non modo aoristum, quo exprimeretur consuetudo quaedam, Latinae linguae cum Graeca communem statuisse, verum etiam Graecis exemplis, quod nostro loco perfectum legitur refugit, illustrasse. Sed a Vergilio — nolo enim praeter necessitatem in ampliorem campum evadere — alienum esse ejusmodi perfectum judico, nedum hoc nostro loco reperiri id concedam; sed utrumque tempus recte positum esse persuasum habeo. Scilicet dum praesenti horret perfectum refugit annectit, ad ea respexit, quae supra v. 3—8 leguntur. In his enim de lugendis tantum ut Infandum dolorem et lamentabile et miserrima et Temperet a lacrimis locutus erat, quibus horrenda ut casus nostros et Trojae supremum laborem succedere dixeris. Et deprecatus illic erat quodammodo Aeneas narrationem propter nimiam tristitiam: mox tamen mutato quasi consilio — id quod satis manifesto indicat Sed v. 10 — tanto Didus amori et cognoscendi et audiendi obsequitur; reapse igitur luctu refugerat, nec est quod cum Vossio progr. Crusen. 1832 p. 7 luctus legamus contra Codicum auctoritatem. Atqui meminisse communiter ut subjectum animus pertinet ad horret et refugit, nec subaudire opus erit, opinor, ad hoc alterum e subsequenti Incipiam infinitivum incipere: nihilosecius probe dignoscendum erit inter meminisse horret et luctu refugit, neque luctu, ut Peerlkampio placuit, trahendum ad horret. Nam qui refugit meminisse, omnino non meminit: contra qui horret meminisse, meminit quamquam cum horrore. Sic apud Livium VII, 40 M. Valerius Corvus „vos, horreo dicere, hostes", nec adeo diversum est, quod Noster infra v. 204 ait „Horresco referens". Ergo dum supplementi loco addit luctuque refugit, repetiit id ex antecedentibus, ita ut praeterito post praesens suus hic locus sit. Atqui debebat Vergilius sic loqui Quamquam animus luctu refugit jamque horret meminisse, si quidem scrupulo interpretum occurrere voluit; sed more poetico postposuit, quod erat anteponendum. Similiter supra I, 397, ubi de cycnis loquitur „Ut reduces illi ludunt stridentibus alis Et coetu cinxere polum cantusque dedere", duplici perfecto cinxere et dedere, quamquam postponitur praesenti ludunt, significantur tamen, quae tempore priora sunt Nec aliter infra X, 726 „leo Gaudet, hians immane, comasque arrexit et haeret Visceribus super incumbens;" nam gaudet arrectis comis, nec coepit demum gaudens arrigere, nedum gavisus. Diversa est ratio perfecti Ge. I, 34 „ipse tibi jam bracchia contrahit ardens Scorpios et coeli plus parte reliquit", quam lectionem optimi tuentur Codices, et Aen. V, 243 „Cloanthi navis Noto citius volucrique sagitta Ad terram fugit et portu se condidit alto;" utrobique enim perfectum post praesens celeritati inservit designandae, quum jam actum esse indicet.

In v. 31 Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae duplicem interpretationem habet donum Minervae. Ex Servii auctoritate H. II. p. 271 „oblatum Minervae, etsi serius (v. 183) hoc comperiunt Trojani“ interpretatus est, assentientes autem plerosque habuit. Quin etiam revocavit Wagner, qui rectius antea cum K. III. p. 33. L. II. p. 40 „donum a Graecis consilio suasuque Minervae Trojanis oblatum“ dici voluerat, in editione tertia p. 152 Heynii explicationem leviter immutatam: „donum a Graecis Minervae per simulationem datum (v. 17) exitiale futurum Trojanis.“ Sed non potest, quod in subsequentibus identidem (v. 36. v. 44. v. 49) donum appellatur Trojanis datum, idem hic appellari „Minervae datum.“ Atqui infra v. 189 Sinon effigiem ligneam, quippe pro Palladio numineque laeso aedificatam, dona Minervae i. e. oblata Minervae (Phaedr. IV, 15, 5) esse ait vel potius fingit; sed quid ejus commenta valent ad nostrum locum, ubi vera narrat Aeneas? Neque versus 17 Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur aut nobis adversatur aut Wagnero succurrit; nam Minervae nulla ibi mentio fit. Porro repugnat epitheton exitiale (Val. Fl. V, 448), scilicet Trojanis, non Minervae futurum. His de caussis accipiendum erit, opinor, donum Trojanis datum a Minerva, quod Graeci, ut v. 15 legimus, equum divina Palladis arte aedificarunt.

Dissentio equidem a reliquis de v. 54 Et si fata deum, si mens non laeva fuisset, Impulerat, ferro Argolicas foedare latebras i. e. Laocoon. Apparet hic esse zeugma quod vocant; videamus igitur, quid commune habeant duo versus membra. Triplex autem se offert expediendi loci ratio. Primum plene suppleri posse putaveris si fata deum non laeva fuissent, si mens non laeva fuisset, scilicet Trojanorum; et visum est una particulam non et adjectivum laeva referre ad fata deum praeter Noehdenium I. p. 80. Muellero progr. Blankenb. 1837 „de locis aliquot Vergilii“ p. 19 et Aldenhovenio „d. Vergilische Fatalismus Ratzeb. 1850“ p. 21. Vertit autem ille „Und wenn der Götter Geschicke, wenn der Geist der Troer nicht verkehrt gewesen wäre“ et fata deum dici laeva vult, quod Graeci auspicia, laeva parte conspecta, infelicia esse putaverint. Atqui reperiuntur apud Latinos quoque scriptores numina laeva vel sinistra (Ge. IV, 7. Sil. XIV, 494. XV, 512. Mart. VI, 85, 3. Lucan. IV, 194. Gell. V, 12); de fatis laevis tamen nusquam legimus; neque id mirum, nam fata vel nude posita (I, 32. 239) sunt iniqua, ita ut ejusmodi attributo non indigeant. Ergo praestiterit, laeva separatim cum mente jungere, ut est Ecl. I, 16 „si mens non laeva fuisset,“ quo magis mens laeva respondeat fatis deum; nam egregie sic consulitur orationis aequabilitati. His de caussis equidem cum censore (N. J B. f. Phil. XXIV. 1. p. 117) Muelleri sententiam probare nequeo. — Deinde haec ratio institui poterit, ut solum ad fata deum subaudiatur verbum fuissent, seorsumque non laeva ad mentem trahantur; eamque reliqui ad unum omnes inierunt. Ait quidem H. II. p. 274 „si fata deum non fuissent h. e. si fatale non fuisset. mens laeva Trojanorum stultitia“; mox tamen ipse se corrigit: „Forte tamen melius junxeris mens non laeva h. e. sana, si fatum et mens sana fuisset“ Sed languet certe hoc nostro loco ejusmodi circumscriptio, et excludit talem verborum sensum loci nexus. Trojam in eo fuisse narrat Aeneas, ut servaretur per Laocoontem. Sua sponte, ut ita dicam, res et poterat cedere et debebat; fata deum fausta insuper et mentem sanam Trojanorum accedere, nihil opus erat Contra quominus impelleret sacerdos ille Neptuni, nec vi factoque intercedere dii, nec laeva mente debebant esse Trojani. Perperam autem illi fata deum in bonam partem accipiunt, invita ipsius vocabuli notione. Igitur ut Trojae salus ad nihil recideret, inde factum esse opinabimur, quod in favorem urbis fata edere dii omiserunt? Plerumque fata deum (II, 257. III, 717. VI, 376. VII, 50. 239. 584) sunt infesta, at Iliaca (III, 182. V, 127) certe vel infestissima. Ergo de fatis deum Trojae faventibus omnino non poterat Aeneas cogitare. Id vel eorum nonnulli sensisse videntur, qui tamen ad fata deum supplere non fuissent pertinaciter recusarunt. Sic. Th. I. p. 130 „Das impellere war bewirkt, allein da trat entgegen“ et K. III. p. 34 „Wäre das Schicksal ihnen nicht zuwider und ihr Verstand nicht verblendet gewesen.“ Sin autem fuissent suppleamus sine particula negativa, quum esse pleniorem hic habeat sensum, nihil aliud efficitur nisi hoc: „wenn (die) Schicksalsfügungen der Götter vorhanden gewesen wären.“ Omnino igitur, quid fieri aut non fieri deberet, in suspenso reliquerunt dii? Id nec volunt adversarii nec possunt sane velle; quare alii (Th. I. p. 130. L. II. p. 41) verba in alienam sententiam detorquent „wenn es das Schicksal, die Götter gewollt hätten“ alii longius etiam aberrantes auctore Wunderlichio I. p. 345 insuper supplent „ut insidiae detegerentur.“ Provocant omnes ad v. 433 si fata fuissent, Ut caderem, injuria tamen; nam ibi verborum Ut caderem accessio probabilem reddit sensum. At hoc nostro loco temere suppletur „ut insidiae detegerentur.“ Scilicet extrinsecus id arripuerunt; quam autem ipse suppeditat contextus particulam non, attrahere ad explendam sententiam, nescio qua de caussa reformidarunt. — Itaque nos nunc spreta duplici illa explicatione non fuisset jungendum et ad fata deum trahendum esse arbitramur. Voluit Wagner hunc esse sensum: „Impulerat, si fata fuissent; at non fuerunt, ergo ille non potuit impellere“; nos contra malumus „Impulerat, si fata non fuissent; at fuerunt, ergo ille non potuit impellere.“ Sic nostro quidem judicio et fatorum notioni et sententiarum nexui satisfacimus. Duplex igitur impedimentum fuisse ait Aeneas, quominus impelleret Troes Laocoon „ferro Argolicas foedare latebras.“ Primum Trojae ruinam imputat fatis deum: miserunt autem geminos angues dii ad occidendum Laocoontem; cf. 199—231. De iniquis deorum fatis vel invitis diis infra quoque (v. 246. 257. 291. 326. 402. 428) legimus; nec desunt expressius dicta: v. 602 „divom inclementia, divom, Has evertit opes sternitque a culmine Trojam.“ Deinde culpam assignat Trojanorum menti laevae. Nempe lusi sunt ii „insidiis perjurique arte Sinonis captique dolis lacrimisque coactis“ (v. 195) et „immemores caecique furore (v. 244) monstrum infelix sacrata stiterunt arce.“ Sic nobis quidem visum est (Muetzell. VIII. p. 258) et videtur etiamnunc; quod autem nuper Dietsch Theol. Verg. p. 22 contra dixit, talem sententiam si exprimere voluisset, poetam nisi scribere debuisse, cupidius quam consideratius dictum est. Profecto enim quum negatio proprie ad verbum fuisset pertineat, sin alicubi, hic certe si non locum habet. Vide Zumpt §. 343. Similiter Nepos Con. 2. „fuit apertum, si Conon non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum.“

Excipit locum modo tractatum versus 56 Trojaque nunc staret, Priamique arx alta maneres, de quo pluribus in Archiv. f. Phil. XVIII. 2. p. 309 disserui. Genuina Medicei lectio est staret et maneres, spreta Heynio II. p. 274 ejusque sectatoribus quin etiam Hauptio p. 61, accepta Wagnero (W. p. 153. K. III. p. 34. G. p. 62), qui in editione Heyniana haec

notavit: „mutata verbi persona a poeta videtur tum ad τὸ ὁμοιοτέλευτον, minime conveniens huic loco, evitandum, tum quo verius animi affectum exprimeret; nam nihil in urbe Troja vel augustius vel Aeneae carius, quam domus Priami. Atque staret ut reciperem, movit me etiam locus consimilis VII, 684 „quos dives Anagnia pascit, Quos Amasene pater;“ ubi idem a nominativo ad vocativum transitus antiquam lectionem, sed in paucis admodum libris, obliteraverat.“ Addimus I, 155 „Sin absumpta salus et te, pater optume Teucrum, Pontus habet Libyae.“ II, 428 „Pereunt Hypanisque Dymasque; nec te tua plurima, Panthu, Labentem pietas texit.“ III, 118 „mactavit honores, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.“ v. 371 „Exorat pacem divom meque ad tua limina, Phoebe, ducit.“ Rhetoricae huic ascensioni optime convenit, quod subjecto Troja nude posito succedit longe speciosius Priami arx alta; malim tamen hic Pergama (II, 291. 556. III, 350 cf. IV, 342) interpretari, quam cum Wagnero „domum Priami“ Iure igitur lectionem staret, etiam Servii commemoratione firmatam, Wagner Lect. Verg. p. 315 defendit contra Hauptium; nec debuit P. 136 cum Aproniano legere staret — maneret. Ipsa personarum variatio, etiam Ribbeckio II. p. 72 probata, arridet; nam „miserationis significatio, quae haud ita elucet in verbis Trojaque nunc staret, illustrior est in commemoranda alta arce Priami.“ Tuetur orationis formam Silii VII, 562 imitatio: „Mutassentque solum sceptris Aeneia regna Nullaque nunc stares terrarum vertice, Roma.“

Fefellisse omnes adhuc interpretes v. 75 Hortamur fari, quo sanguine cretus, Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto, persuasum habeo. Communem recentiorum sententiam praeivit H. II. p. 277 „num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit;“ ac pariter nuperrime W. p. 153: „qua re confisus veniam et salutem sperare possit; quae spes captivo homini aut nulla esse solet aut exigua.“ Sed vel ideo, opinor, ejusmodi quaestioni hic non locus est, quamquam quae pro „cujus rei“ dici posse ut v. 171 ea signa pro „ejus rei signa“, facile concedo. Praeterea neque genitivum „veniae“ vel „salutis“ Noster addidit, neque Trojani recte interrogare potuerunt Sinonem, qua fiducia ad ipsos venisset; is enim brevi ante querula voce exclamaverat „et super ipsi Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.“ Hoc qui dicit, nulla cum fiducia venit; immo etiam desperat. Prorsus igitur a vero aberrasse censendus erit L. II. p. 42: „Die Worte enthalten eine erweiternde Erklärung des vorhergehenden quid ferat. Indem Aeneas berichtet, die Trojaner hätten den Gefangenen aufgefordert, er möge angeben, was er für seine Rettung vorbringen könne, hebt er das Mitleid und die Grossmuth seines Volkes hervor.“ Nec sufficit Forbigeri II. p. 146 explicatio „qua fiducia ultro se captivum obtulerit.“ Intolerabilem esse vulgarem interpretationem, probe perspexit Peerlkamp I. p. 89; itaque quum idoneum textui sensum ipse elicere nesciret, verba memoret, quae sit fiducia capto una cum sequenti versu, quem ex Aen. III, 612 repetitum suspicatur, spuria judicavit. Jure ei oblocutus est Freudenberg Vind. Virg. p. 19, sed falsa veris habet intermixta. Nos igitur nunc rectius interpretando poetae succurrere conamur. Quaerunt autem Troes ex Sinone, non quo confisus veniam et salutem speret, sed potius quatenus ipsi jam dicturo fides haberi possit. Nec temere quidem; proxime enim hortati erant fari, quo sanguine cretus quidve ferat; suboritur dein, ut par erat, suspicio, ne deciperentur ab interrogato. Nonne pertimescendum erat Troibus, ne in suum favorem

omnia vel simulaturus vel dissimulaturus esset Sinon? Idem dativus occurrit X, 152 „humanis quae sit fiducia rebus;“ cf. Stat. Theb. X, 408 „neutri fiducia coepto.“ Ita si interpretamur, ne memoret quidem offensioni erit, ut fuit Batavo, quippe qui nullo bono id esse dicat, nisi ad versum supplendum. Potuit enim Noster praecedenti Hortamur fari, ut quo sanguine cretus Quidve ferat, ita etiam quae sit fiducia capto subjungere, voluit tamen, ni egregie fallor, quaestioni de fiducia aliquantum momenti tribuere. Itaque proprio eam verbo distinguit et praesenti conjunctivo utitur post infinitivum. Poetae mentem non assecutus est Voss progr. Crusen. p. 7, qui post ferat comma, post fari colon poni jubet. Porro sic demum videtur esse, cur capti diserte hic mentio fiat; nam a capto potissimum verendum erat, ut libere omnia ac vere dicerentur. Huic nostrae autem interpretationi (cf. Muetzell. VI. p. 255) vel maxime adminiculo sunt subsequentia; quo enim omnem de veritate eorum, quae narrare vult, dubitationem praecaveat, statim ab initio ingenue ac sincere omnia sese locuturum esse asseverat: „Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque, fatebor Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo. Hoc primum, nec si miserum Fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.“ Haec igitur hactenus; non tamen silentio praetermitti debet, nuper Ribbeckium II. p. 74 emendasse Quive fuat, memores, ingeniose quidem, sed num opus sit emendatione, dubitare licebit. Lectio Quidve ferat quum Servii tum omnium librorum MSS. auctoritate firmatur neque quemquam offendere potest; immo convenit huic loco, quod Sinon venientibus ultro se obtulerat v. 60. Quod autem infra III, 609 qui sit fari, quo sanguine cretus, Hortamur legitur, nihil facit; nam quid ferret Achaemenides, quaerere non attinebat. De ipso sensu verborum quae sit fiducia capto viro illustrissimo nobiscum convenire videtur; nolim tamen equidem scribere memores, quum tollatur sic omnis de veritate eorum, quae jam dicturus est Sinon, suspicio, qualem indicant sequentia. Ceterum non esse, cur haereamus in lectione memoret, supra ostendi.

Respondet quaerentibus de fide captivo habenda Sinon v. 77 Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque, fatebor Vera. Vulgo verba fuerit quodcunque praeeunte Servio interpretantur „quicunque me sequatur eventus“ (H. II. p. 278. J. p. 455) vel „quidquid inde mihi acciderit, eventurum est“ (W. p. 147. G. p. 64. F. II. p. 147): at mihi quidem, ut N. JB. f. Phil. Suppl. B. XVIII. 3. p. 441 pluribus ostendi, simplicior ac rectior videtur esse haec translatio: „was es auch (gewesen) sein mag.“ Enimvero neque particulam inde neque pronomen mihi adjecit poeta; neque fuerit pro „accidet“ vel „eventurum est“ accipi poterit. Praesidium quoddam sententiae suae e Phaedri verbis III. prol. v. 27 „Sed jam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon, Ad regem quum Dardaniae perductus foret), Librum exarabo tertium Aesopi stilo, Honori et meritis dedicans illum tuis“ parare solent: id tamen quale sit quamque infirmum, nemo non videt. Annotavit quidem Burmann p. 143: „sive inter Poetas habeor sive excludar coetu, tamen exarabo librum tertium:“ sed alienum id est a dedicantis consilio. Speciosius, ni vehementer fallor, pro „librum qualemcunque“ Vergiliano verbo dixit quodcunque fuerit, tenuitatem futuri operis tacite quodammodo fautoris honori ac meritis comparans. Futurum exactum fuerit pro simplici erit vel futurum est poni posse, satis constat; at hic justo durius sit propter fatebor, si quidem, quod eventurum est, ipsius confessionis sequela

habetur. Ceterum in eo haesisse videntur, quod pluralem Cuncta singularis fuerit quodcunque subsequitur. Et potuit quidem Noster sine metrica difficultate fuerint quaecunque dicere: cur igitur noluisse putabimus? Probe animadvertendum est, Cuncta in versus exordio dixisse poetam. Ex iis igitur singula intelligi, indicat transgressus ad singularem, nam quae fateri vult Sinon, non omnia ejusdem gravitatis sunt; gravissimum autem, se Argolica de gente esse, primum fatetur. At dixit Weickert Annot. in Aen. libr. II priores Lucc. 1834 p. 9 „recte mihi explicare videtur Servius, non quod de linguae Graecae usu et Livii XXX, 17 loco comparato dubitem, sed sententia, quae oritur adscita Wagneri (jusserat is in editione Heyniana quodcunque referri ad Cuncta) explicatione, non videtur pati modum conjunctivum." Similiter tamen infra III, 652 „huic me, quaecunque fuisset, Addixi;" quicunque est V, 83. IX, 287. Et quominus fuerit cum adversariis pro futuro Indicativi sumamus, ita ut erit vel futurum est designet, quid impedit? Recte igitur Wagner explicationem „Cuncta, quodcunque ut Graeci πάντα, ὅτι", in superioribus editionibus spretam, nuper revocavit.

Venimus nunc ad v. 87 Illi me comitem et consanguinitate propinquum Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. Quaenam ratio comiti intercedat cum propinquo, non satis acriter expressisse videntur interpretes. Scilicet missus est Sinon, ut fieret Palamedi comes, quum ei esset consanguinitate propinquus. Patet inde, et poni pro etiam, ita ut hic sensus oriatur: Illi me comitem pauper huc misit pater, insuper etiam consanguineum. Porro anceps est loquutio primis ab annis, nec mirum, quod in diversas partes abierunt eruditi. Cum Servio H. II. p. 280 „ab initio belli"; idque recentiorum plurimi adoptarunt: contra cum Vossio progr. Crusen. p. 8 alii (Ho. I. p. 79. G. p. 65. L. II. p. 43) maluere „aetatis". Primum autem moneo, sic poetae scribendum fuisse primis in annis, ut est apud Valerium Flaccum V, 458, ubi filius Absyrtus „primis in annis" i. e. teneris fuisse dicitur; deinde primis annis, nisi cupide agere velimus, infantiam designari, ut designatur laudato loco, concedamus necesse erit, quam tamen excludit contextus. Quin etiam vel maturiorem annis fuisse Sinonem, perspicuum inde fit, quod infra v. 138 dulces natos in patria reliquisse dicitur, quum decennio ante proficisceretur ad bellandum. Nam ipsius Sinonis hic natos dici a poeta, vel attributum dulces docet; nec igitur opus erit refutare Henryum, qui Advers. Virg. Philol. XI. p. 601 natos, non Sinoni, sed patri ejus adjudicavit. At, dicent illi et dixerunt, id egit Sinon, ut militandi caussis callide excogitatis Trojanorum veniam facilius impetraret; ergo satius sit primos aetatis annos intelligere, magis enim excusat pueritia. Contra decennalibus stipendiis difficilius ignosci par erat, nec igitur memorare id debebat Sinon. Atqui notaverat haud dubie ad eum finem, ut Achaemenides infra III, 615, paupere a patre sese missum esse Trojam, insuper Palamedis propinquum: at omnia omnino in suum favorem simulare caute abstinuit, quo plus fidei sibi haberetur ab audientibus; licet enim permulta mentiatur, Vergilius tamen eum facit vero similia mentientem. Quapropter neque illud reticuit, cum Palamede se aliquod nomen decusque gessisse v. 89, neque futurae victoriae spem v. 95, quae tamen ne Trojanorum iram motura esset, valde metuendum erat. Ante omnia autem Palamedi, falsa proditione a Pelasgis necato, quum bella vetuisset v. 84, vel intimo familiaritatis vinculo sese conjunctum fuisse, et voluit et debuit Sinon persuadere Trojanis; et

huic rei vel distinctius significandae inservit, quod statim ab initio belli comitem Belidae se fuisse narrat. Ita ut interpretemur, ipsa suadere videtur verborum collocatio in arma pater primis huc misit ab annis. Nec dehortatur me comparatio loci VIII, 517, quo admodum sese juvari dictitant adversarii. Ait ibi Evander ad Aeneam „sub te tolerare magistro Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta Assuescat, primis et te miretur ab annis" i. e. Pallas. Sed duobus locis magna intercedit diversitas. Sinon enim, quum haec narraret, jam per continuos decem annos stipendia meruerat: Pallas coepit demum merere; ille comes et amicus vocatur Palamedis: hic magistro quasi Aeneae traditur. At vel illic satius sit e proxime antecedentibus „militiae" supplere, quum de rudimentis tantum militaribus dicatur. Nec magis faciunt loci ab Henryo Philol. XI. p. 600 insuper allati: Val. Fl. I, 22 ubi Haemoniam Pelias primis ab annis i. e. jam inde antiquitus frenasse dicitur. Apud Ovidium ex Ponto II, 5, 43 Salanus quidem Caesaris comes antiquus, primis junctus ab annis, appellatur; sed quid hoc ad nostrum locum? Enimvero accipiendi erunt primi anni, prout contextus requirit. Ergo non debebat Wagner in editione recentissima p. 154, a priori ratione recedens, sic interpretari:" primis annis sive primo tempore aetatis (Cic. de Legg. I, 4) sive ineunte aetate (Cic. Off. I, 34) significatur adolescentia cf. VIII, 517." Praeter necessitatem Peerlkamp I. p. 92 conjecit: Pauper in arva pater primis haec misit in armis (Ovid. Met. VIII, 313. A. A. v. 181. Sil. It. V, 580): huic, quantum satis erat, jam responsum est a Freudenbergio Vind. Verg. p. 21.

Difficilis est locus v. 99 hinc semper Ulixes Criminibus terrere novis, hinc spargere voces In volgum ambiguas et quaerere conscius arma. Sic loquitur Sinon, dum coram Trojanis injurias fingit a Graecis acceptas. Primum, quid sint arma, quaeritur. Ex Servii dicto „armis instrumenta cujuslibet rei designantur, unde et insidiantis fraudes" H. II. p. 282 accepit consilia, quae agitasset Ulixes ad depellendum imminens sibi a Sinone periculum, vel fraudes et insidias, quas in Sinonem parasset; ejus autem vestigia omnes deinceps presse secuti sunt. Sed huic interpretationi reluctatur nexus; nam praesto fuisse arma Ulixi, ex iis videmus, quae brevi ante leguntur. Scilicet in promtu erant illi semper nova crimina vocesque ambiguae; quaerendo igitur supersedere potuit. Minus etiam de praesidiis cogitari debet; quamquam enim in patria ultorem (v. 96) Palamedis sese futurum esse Sinon promiserat, ipse tamen non lacessivit Ulixem, sed lacessitus est ab illo, quum afflictus vitam in tenebris luctuque (v. 93) traheret. Offendunt etiam, postquam de criminibus vocibusque ambiguis sermo fuit, arma nude posita; scilicet addi debebat, quod vulgo tacite suppletur epitheton alia insuper. Obstat praeterea attributum. H. II. p. 282 „conscius: cum aliis, communicato scilicet consilio", quum statim Calchantem ministrum assumpsisse dicatur; diligentius dein Wagner sententiam exposuit: „Nempe illud quaerere arma vagum est et ambiguum hoc loco, nisi addatur aliquid, quo appareat, quam notionem his inesse voluerit poeta; adjectum est igitur conscius, quo indicetur communio quaedam; quod vocabulum commode ad Ulixem, sceleris auctorem, et ad socios hujus consilii accommodari poterat, quoniam et hi et ille ejus rei conscii sunt; conscius arma quaerere igitur poeta dixit et cum Ulixis nomine adjectivum copulavit, quum, si metrum pateretur, nihil

mutata sententia, etiam quaerere conscios, quae est communis ratio, dicere liceret.“ Sed si conscius erat Ulixes, quippe communicato cum aliis consilio, quid tandem opus fuit arma i. e. socios quaerere? Ut taceam, non apte dici Ulixem, utpote criminis inventorem effectoremque, aliis conscium. Ecquis porro sibi persuadebit, illis verborum ambagibus nihil aliud exprimi nisi quaerere conscios? Praeeunte Wunderlichio I. p. 348 „conscius est conscius mali“ recentiores ut G. p. 65. Th. I. p. 137 supplerunt „injuriae Palamedi illatae; sic etiam Wagner p. 154 „conscius sui sibi sceleris, cujus ultorem me futurum promiseram“. Hic vero languidum foret ejusmodi attributum. Quo perspecto Fr. I. p. 36 vertit „auf Böses bedacht“, convenientius quidem contextui; at vero conscius non est „mala agitans“. Re in medio relicta L. II. p. 38 eousque processit, ut de industria Vergilium ambiguo hic sermone usum esse contenderet, quo majori exspectatione Troes intenti essent Sinonis narrationi. Neque lucem attulit loco Mueller progr. Blankenb. 1837 p. 19, qui Heynium rectam interpretandi viam ingressum quidem sed non persecutum esse ait. Opponi inter se vult tum spargere in volgum et quaerere conscius tum voces ambiguas et arma; conscium autem parare Ulixen arma, quibus Sinoni vis afferretur i. e. ipsam vim; ita ut hic verborum sensus sit: „er suchte im geheimen Bunde (mit Kalchas) gewaltsamen Angriff“. Sed argutiorem eam explicationem esse quam veriorem, recte censor (N. JB. f. Phil. XXIV. 1. p. 117) observavit. Jam, quid nosmet ipsi de constituendo sensu judicemus, breviter exponamus. Qui autem recte intelligere locum vult, is ante omnia, quae verbis quaerere et conscius ratio intercedat, probe secum reputet; nam in hac verborum junctura cardo rei versatur. Compositum autem conscius, nude dictum, idem hic esse arbitror, quod simplex scius; cf. Non. V, 29 „Scius et conscius hoc differunt, quod scius secum, conscius cum alio scius est; licet conscium indifferenter positum legerimus“. Sic apud Nostrum II, 141 numina vocantur conscia veri, non quod una cum aliis, sed quod sola sciunt verum. Apparet dein, antitheton quoddam verbis contineri; scilicet alias, nisi nescii, quaerere non solent, hic vero conscius quaerere dicitur. Ergo dissimulavit scientiam suam in quaerendo Ulixes, vel potius simulavit inscientiam. Respicit autem Sinon ad nefariam illam Ulixis fraudem, de qua vide Dion. Chrys. Or. XIII. p. 428 ed. Reisk. Or. LIX. p. 360. Cic. Her. II, 19. Top. 20. Tusc. I, 41. Off. III, 26. Ovid. Met. XIII, 60 „ostendit, quod jam praefoderat aurum“. Suspiceris, nostro quoque loco pro armis scribendum esse aurum, sed correctione non opus est. Aut enim fluctuabat narratio rei inter arma et aurum, aut pro auro dicuntur hic arma, quippe instrumenta ad interimendum; cf. Hor. Sat. II, 3, 297. Ceterum faciliorem reddunt hujus loci intellectum, quae supra v. 83 de falsa proditione, v. 84 de infando indicio, v. 90 de invidia pellacis Ulixi poeta dixerat. Nempe haud ignota v. 91 loquitur Sinon. At vero, opposuit S. p. 345, desideratur pronomen ad arma illa, quae praefoderat in Palamedis tentorio Ulixes, deinde conscius quaesivit, acrius definienda. Sed latiore sensu, ut fieri solet, saepius accidisse dicitur, quod semel tantum revera accidit; nec aliud quidquam voluit poeta, nisi fraudem ac malitiam illius scelerum inventoris vel luculentissime proponere. Probe idem observavit, designari utique novum aliquod Ulixis inceptum; scilicet a dolose dictis ad dolose facta ascendit. Sic demum apte subsequuntur Nec requievit enim, donec Calchante ministro. Falso Heynium II. p. 283 enim reddidisse sane (δή), Weickert p. 9 animadvertit, quamquam ipsius particulae vim affirmativam non addubitare debebat. Utut est, hic certe veritatem rei modo dictae monstrat. Jam enim tacite convenerat Ulixi cum Calchante, quum reportatis Phoebi dictis, quae numina essent divom, flagitaret; nihilosecius plane inscium sese et innocentem simulat. Ergo repetitur crudeli artificis scelere v. 125 in Sinonem falsa proditio v. 83 in Palamedem. Ne multa! iterum hic conscius arma quaesivit Ulixes. Non est igitur, quod haec verba cum Peerlkampio pro spurio versus imperfecti supplemento habeamus. Ceterum confer Muetzell. VIII. p. 261.

Narrationem suam Sinon interrumpit his verbis v. 101. Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo? Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos Idque audire sat est? Iamdudum sumite poenas. Sic hodie omnes distinguunt. Sed . . . autem loci tuentur comicorum. Terent. Phorm. IV, 2, 11, Plaut. Rud. II, 6, 15. Truc. II, 3, 14. Confer Hand. Turs. I. p. 583. Statuerunt recentiores quidam, per sed abrumpi sermonem, per autem significari mirationem: utcunque res se habet, certe augeri geminatione particulae sermonis gravitatem crediderim; similiter nos „Aber was erzähle ich doch?“ Vergilium se legisse ostendit Prudentius Apoth. v. 741 „Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo“? Quo sensu nequiquam dixerit Sinon, non satis acriter percepisse videntur interpretes: ait. si quid video, „quum nihilo secius me interfecturi sitis“. Recte Servius ingrata i. e. mihi „quorum non libenter memini;“ revolvo autem non „mihi cogitando,“ ut Th. I. p. 138 voluit, sed „vobis narrando.“ Quidve moror vos i. e. quominus statim me interficiatis? His expositis, jam de loci distinctione videamus. Et H. II. p. 282 quidem post moror signum interrogationis posuit, ita ut si . . . sat est protasis fieret sequentium jamdudum sumite poenas. Maluit autem Wagner enunciationem conditionalem praecedentibus Quidve moror annectere eique suffragati sunt fere omnes. „Interpunctionis mutatio“, ait ille, „ipsa se tuebitur:“ at mihi nunc, ut Vossio progr. Crusenac. 1838. p. 1. contra videtur. Nam referri debebunt si . . . sat est etiam ad priora quid . . . revolvo, quod tamen aliis de caussis improbabile sit. Porro, nude posita, vividior fit quaestio Quidve moror? Et ubicunque Noster cum emphasi loquitur, praemittere solet enunciatum conditionale. Ex innumeris locis, quos paratos habeo, paucos tantum afferre placet, huic nostro vel simillimos: IV, 317 „Si . . . merui: miserere.“ V, 687 „Si . . . humanos: da.“ VI, 133 „si . . . labori: accipe.“ VII, 401 „Si . . . remordet: Solvite.“ X, 622 „Si . . . sentis: Tolle.“ XI, 368 „si . . . cordi est: Aude.“ Praeterea in singulis multifariam ab interpretibus erratum est, quum interiorem loci nexum omnino non perspectum habuissent. Perperam J. p. 455 Idque ad superiora referri voluit „Quid plura narro vobis, qui omnes Achivos uno ordine habetis et quibus jam satis est audire ea, quae adhuc narravi? neque particulae si neque singularis id respectu habito. — Wagner, quocum K. III. p. 36. F. II. p. 152 fecere, in editione Heyniana sic interpretatus est: „idque audire sat est i. e. si ad cognoscenda principum Achivorum ingenia satis est, id, hanc unam rem audire.“ Idem in tertia editione p. 155 justo durius „id h. e. Achivum audire h. e. appellari ut Horat. Ep. I, 7, 37 „rexque paterque audisti;“ contra L. II. p. 44 „idque i. e. nomen Achivum audire“. Rectissime ab Heynio ejusque sectatoribus verba Idque audire sic explicantur: „aliquem vel me Achivum esse;“ scilicet respexit Sinon ad id, quod supra v. 78 primum

omnium confessus erat, se Argolica de gente esse, repetitum quodammodo et renovatum brevi ante nomine Achivo. Ad sat est autem supple e sequentibus „ad poenas sumendas;" ar ctissima igitur enunciationi si.... sat est cum verbis sumite poenas ratio intercedit. Ceterum fuere antiquitus, qui distinguerent Idque audire sat est jamdudum: sumite poenas; sed cur a vulgari ratione recedamus, nihil est; nam alias quoque particula cum imperativo jungitur, ita ut significet „quam primum, confestim." Ut dubius sit Ovidii Met. II, 482 locus, ubi Jahn verba jamdudum clamat conjungi maluit, tamen indubitatae auctoritatis sunt haec exempla: Ovid. Met. XIII, 457. Stat. Theb. I, 270. Sen. Med. v. 191. Ovid. A. A. II, 457; confer Hand. Turs. III. p. 160. Praeter necessitatem Peerlkamp I. p. 95 ob „magnum in explicando dissensum" conjecit Quidve moror? Si omnes uno ordine habetis Achivos, Hoc me audire sat est. Redeundum igitur erit ad Heynii distinctionem, sine probabili caussa relictam a recentioribus: Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo? Quidve moror? Si omnis uno ordine habetis Achivos Idque audire sat est: jamdudum sumite poenas.

Exercuit interpretum sollertiam in v. 121 Volgi quae vox ut venit ad auris, Obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo structurae ambiguitas; fata enim sitne nominativus an accusativus, quaeritur. Ad Burmanni exemplar H. II. p. 275 „Cui fata parent id, ut ejus anima litetur;" adjecitque ibidem de suo Wagner „Optime cui fata parent sc. illud ut immoletur; quod dum reticetur, multo majorem affert horrorem." Secuti eum plerique fata pro nominativo habent; qui autem libero nec dum praeoccupato animo ad interpretationem loci accedit, is non poterit non id ratum habere, genuinam hic esse enunciationem interrogativam, alteram alteri vel simillimam. Nec raro fata aliquid parare dicuntur (Val. Fl. I, 326. Lucan. II, 68. 133. VI, 783. Claud. in Ruf. I, 142. Ammian. XXI, 15); in ellipsi autem non offendi debet, licet quod a Burmanno allatum video exemplum Quint. Declam. XVII, 5 minus huc pertineat, nam res ipsa loquitur, esse cui pararem id, quod terebam. Nec eo confugere nunc in animo est, ut alia quoque verba absolute usurpari a Nostro (I, 12. 60. 145. III, 14. 165. V, 145. VI, 735) moneam; nam hujus loci propria quaedam ac peculiaris ratio est. Scilicet non tolerabilem modo arbitror esse objecti omissionem, quod tamen, vi velis, facile ex antecedentibus subauditur, verum etiam suam hic habere vim. Volunt augeri sic horrorem interpretes; certe convenit, quod sermo in angustum deducitur ac repetitur, dictionis affectui. Quippe verba referuntur metu trepidantium; quare ut in priori quaestione cui fata parent objectum mortem, sic in posteriori quem poscat Apollo participium desideratur immolandum. Contra objecti accusativum in tali verborum structura vix omitti posse ratus, J. p. 455 fata parent verba „secundum perpetuum hujus dictionis usum" maluit interpretari „mortem parant" et subjecti loco subaudire ea verba. Sed fata, ut supra ostendi, etiam parare, non solum parari, dicuntur nec licebit, credo, supplere ea verba. Nam quum brevi ante v. 119 quae vox antecesserit, cur non paret dixerit Noster, vix intelligas; quominus autem e versu 115 haec tristia dicta huc repetamus, quum longum vetat intervallum, tum verborum quae vox interpositio. — Alteram quaestionem alteri obnoxiam fecit Mueller progr. Blankenb. 1837. p. 21, dum ita jungit verba: „quem

poscat Apollo, cui i. e. ut ei fata parent: wen, ihm das Geschick zu bereiten, fordere Apollo" Nonnunquam, ait, enunciatio, quae objectum continet, et e pronomine relativo pendet, alii enuntiationi, quae item relativum continet, gravitate quadam orationis praemittitur, ut apud Caesarem B. G. I, 24. Cui autem haec verborum junctura confusior esse videtur, is faciliori ratione grammatica utens verba cui fata parent sensu quidem a me proposito sumat, sed non cum voc. quem jungat, ita ut interpretetur: wem das Geschick sie bereiten sollen, wen Apollo verlange." Priorem illam rationem amplexus est G. p. 47 „quem (interrogativum) poscat Apollo, cui fata (mortem) parent scil. Graeci. Ita parent subjectum habet, quod potest habere proximum; non est omissum objectum; neque quidquam ad illud poscat est supplendum neque eadem bis dicitur sententia." Mihi vero contortior quam simplicior videtur esse ejusmodi structura ac plane turbari, quae duabus illis enunciationibus mutua intercedit ratio. Debet enim, meo quidem judicio, subjectum fata respondere subjecto Apollo, ut praesens conjunctivi poscat respondet praesenti parent et pronomen quem excipit cui. Nec omissio objecti aut repetitio quaestionis, ut demonstratum est a nobis, quidquam molesti habet. Alteram eamque simpliciorem Muelleri rationem praeter censorem ejus (N. J B. f. Phil. XXIV. 1. p. 117) adoptavit Freudenberg p. 23, adstipulante Aldenhovenio p. 22 „wem man den Opfertod bereiten solle, wen Apollo verlange." Novum autem ille sententiae suae adjumentum petiturus, fata parare alicui solemnem esse formulam de iis contendit, qui diis pro victima immolentur. Scilicet id evinci vult uno Ovidii Met. XIV, 213 loco „Talia fingebam misero mihi fata parari. At ne hic quidem certus est; nam loquitur ibi Achaemenides, comes ille Ullixi, qui eandem sibi mortem fore praedixit, qualem experti essent socii. De sacris igitur omnino non sermo fit. Adhuc contra eos disputandum est, qui emendando quam interpretando maluerunt sensui adhibere medelam. Conjecit vir doctus in Misc. Obss. crit. T. II. p. 86 paret, ut Apollo et fata parare et poscere diceretur; id quod propterea non placet Dietschio, quia non ipse Apollo flagitet mortem hominis et si illum, qui immolandus sit, significet, tamen id non suo sed fati nomine facturus sit. Addo equidem, tunc languidum fore quem poscat. — Peerlkampio I. p. 97 simplicissimum videbatur scribere quid fata parent. „Tremor, ait, propter illud, quod fata parabant, nempe mortem unius e Graecis, et tremor, quis ille esset futurus." Hanc quoque emendationem, quam Lucani VI, 783 imitatione aliquatenus commendari Batavus opinatur, probare nequeo, quum, quid fata postulent, dato illo in v. 116—9 responso, jam non dubium sit, sed quem. — Postremum Dietschio p. 21 scribere quod vel potius quae poscat Apollo, ut sententia esset „cui fata illud, quod Apollo necessarium esse dixit, destinaverint, quem eum, qui immolari debeat, designatura sint." Ut fata esse largiar, quae de omnibus rebus constituerint: qui tandem subjiciuntur hic Apollinis numini, quum mandata ejus quodammodo exsequi dicantur? Certe multo simplicior et apertior est ratio, si fata et Apollo junctim hic vocantur ut alias: III, 395 „Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo;" cf. V, 783. VIII, 398. IX, 135. Sic fata deusque vel fata et numina (IV, 440. 651. V, 706. VIII, 398. 511. 574). Ceterum non opus est emendatione; quae in omnibus libris MSS. leguntur cui fata parent, quem poscat Apollo, optime se habent. Sic enim, ut breviter dicam, quaerere vel potius quaeritare solent tremebundi.

Poetae mentem non assecutus est H. II. p. 287, dum ad v. 130 Adsensere omnes, et quae sibi quisque timebat, Unius in miseri exitium conversa tulere haec annotavit: Conversa tulere exquisite pro converterunt;" quae tamen multis subinde accepta fuere. Sed ut de ipsa circumscriptione taceam, adversatur huic sensui contextus; nam quod inde a v. 97 sibi accidisse Sinon queritur, id soli imputatur Ulixi Calchante ministro; reliqui in eo substiterunt, ut adsentirent tantum et perniciem ab omnibus in unum conversam ferrent. Itaque magis etiam errasse videtur Wagner, qui in editione tertia p. 156 „converterunt et (trans) tulerunt in meum exitium" habet, secutus Henryum Adv. Virg. p. 601 „richteten und brachten es zu meinem Verderben"; sed loci I, 85. IV, 375. XI, 800 omnino huc non pertinent. Neque mutari debet simplex ferre composito transferre neque statui contra poetae consilium, Sinonis exitio manus admovisse socios, nedum inceptam ab Ulixe rem perduxisse ad finem. Ergo praestiterit cum J. p. 455. Th. I. p. 142. F. II. p. 157 Ruaei explicationem „omnes passi sunt verti", etiam Vossio p. 8 probatam, amplecti ac vertere cum Ladewigo II. p. 46, qui ipse antea Heynio suffragatus erat: „Das liessen sie sich, auf Einen abgeleitet, gefallen." Sic ferre Ovid. Her. V, 12. Met. XIII, 460.

Narrat Sinon v. 134 Eripui, fateor, leto me et vincula rupi: sed quae tandem vincula dicit? Certe non ea, quae supra v. 57, expressius etiam infra v. 146 memorantur. Aut igitur pastores captivum denuo ligarunt, ut Peerlkampio I. p. 99 visum est, aut, quod probabilius sit, vincula rupisse in universum dicitur, qui e carcere fugit (Cic. Cat. IV, 4) licet manus post terga revinctus; vittas saltem se gessisse ut hostiam, ipse v. 156 memorat. Nam quod Wagner p. 156 ait: „Videtur laxus funis ei, quum, ut simulat, ad aram duceretur, injectus esse, quo si fugere conaretur, retineri posset", probabilitatis specie carent.

Quomodo versus 136 in ulva Delitui, dum vela darent, si forte dedissent distingui debeat, ambigitur inter eruditos. Spreta priori ratione H. II. p. 287 dum vela dedissent et si forte darent junxit. Contra disputavit Wagner: „bene habet pristina interpunctio, modo meminerimus, conjunctivum plusquamperfecti non in vincta solum sed etiam soluta oratione pro futuro periphrastico poni et si forte dedissent esse si forte daturi essent" laudatis insuper locis v. 94. III, 652. VI, 880. IX, 41. 704. Liv. XXXIV, 6. Jure Peerlkamp I. p. 100 monuit, exemplorum aliam quandam esse rationem. „Nam in omnibus cernitur aliquid obliqui et plus praeteriti quam hoc loco. Linguae ipsius natura postulat: latui donec vela dedissent, si tamen darent, hoc haberent consilium ut darent. Alterum, latui donec vela darent, si tamen hoc consilium habituri fuissent, repugnat facilitati cogitationum perspicue explicandarum." Quod autem Wagner Heynii interpunctione id effici putat, ut numeros habeamus non satis elegantes, idem opponit „Hoc pendet, credo, a mora, quam in pronuntiando post vela facimus. Fac breviorem, neque offendent numeri." His pauca insuper ex iis, quae accuratius in Archiv f. Phil. XVIII. 2. p. 312 disputavi, adjicienda videbantur, ut Heynii distinctio, si quidem fieri posset, aliquanto firmior redderetur. Ut tamen concedam, plusquamperfectum conjunctivi interdum pro futuro periphrastico poni, hic tamen justo durius sit propter antecedens imperfectum. Nec exspectavit Sinon, dum vela darent, sed potius dum dedissent Graeci; nam tum demum prodire licebat in publicum. Adjuvat Heynium

etiam Valerii Flacci VII, 272 imitatio „spes et via sola salutis, Quam dederit, si forte dabit." Saepissime ita enunciata, quae particula si vel si forte incipiunt, inserta reperiuntur apud Nostrum: I, 151. 181. 322. 375. 546. 603. II, 54. 79. 81. 94. 420. 433. 536. 641. 689. 690. III, 107. 433. 434. 551. 604. IV, 85. 95. 125. 319. 341. 382. 419. 520. 684. V, 17. 51. 64. 363. 548. 687. 692. VI, 78. 530. 675. 871. VII, 263. 273. 548. 559. VIII, 15. 140. 147. 396. 561. IX, 134. 214. X, 244. 272. 792. 803. 828. 861. 864. 903. XI, 128. 308. 415. 502. 653. XII, 41. 152. 157. 183. 204. 233. 749. 778. 932. Dissidentes igitur a Wagnero nos nunc cum recentioribus quibusdam (J. p. 103. Th. I. p. 142. L. II. p. 46) interpungimus Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.

Majori signo distinguendum esse ante v. 139 Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent Effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt, convenit inter doctos, ita ut pronomen relativum pro demonstrativo stet. Nam ad novum aliquid sermo transgreditur et facilius ita et culpam hanc miserorum morte piabunt succedunt. Praebent omnes libri MSS. fors et; maluit tamen H. II. p. 288 legere ad poenas. Jure Codicum lectionem, etiam Servio probatam, Wagner restituit eique recentiorum plurimi adstipulati sunt; ambigitur tamen de structura. Notavit summus ille vir: „poenas minime est alterum objectum; sed reposcere hoc loco cum simplici accusativo quos struitur, cui adjungitur poenas ut appositio; itaque quos puniendos reposcent. Eadem appositio infra VI, 20. Alienum esse hunc locum probe perspecto, S. p. 346. Th. I. p. 143 correctionem Heynianam ad poenas revocarunt; nos autem nunc cum G. p. 68. L. II. p. 46 constructionem, non lectionem mutamus. Enimvero quum justa verbi reposcere haec sit structura, ut cum duplici accusativo objecti jungatur, nolim equidem poenas pro apposito sumere; neque licet, opinor, dicere aliquem poenam reposcere tali sensu „jemand als Strafe, Sühne verlangen." Tunc dicendum erat ad poenas, ut VIII, 495 „Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt." Adjumento nobis est locus VII, 606 „Parthosque reposcere signa."

Interpunctione sanandum esse duco locum v. 145 His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro. Ipse viro primus manicas atque arta levari Vincla jubet Priamus dictisque ita fatur amicis; nam miror equidem, qui factum sit, ut punctum post ultro omnes adhuc tolerarent. Unus H. II. p. 289 in transcursu notavit „Ceterum possit distingui ante ultro, nec tamen satis bene." Mihi vero (v. Muetzell. VIII. p. 253) haec distinctio unice vera videtur esse; nam qui ultro in contextum cadat, non intelligo. Recte Lindemann ad Plaut. Capt. III, 4, 19 „ultro aliquid facere dicitur, qui non exspectat, dum rogatur, sed ante facit nemine impellente." Adversatur autem ablativus His lacrimis vel maxime; enimvero qui lacrimis alicujus permotus vitam dat et miserescit, non ultro miserescit. Alii igitur particulae notione aliter definienda id efficere conati sunt, ut praecaveretur repugnantia. Quare H. II. p. 289 „ultro est libenter, facile promtoque animo", laudatus a Wagnero Quaest. Verg. XXVII, 2. Vol. IV. p. 505: „recte, ni fallor, sed quaeritur quomodo ultro in hanc significationem abire potuerit? Nempe quod hic Trojani faciunt, faciunt lacrimis Sinonis commoti; at ultro quod facimus, facimus non commoti, non impulsi ab alio. Sed quod non impulsi, non rogati facimus, id sane facimus libenter fortasse promtoque animo. Itaque fieri potuit, ut interdum sustineret hanc

ipsam potestatem, etiam ubi alterius precibus aliquid damus.“ Quod sibi ipsi et aliis quoque (G. p. 69. F. II. p. 159) persuasit vir doctissimus, id mihi non persuadebit; nam mira profecto est qua utitur argumentatio. Scilicet non potuerunt una Troes et impulsi lacrimis Sinonis et non impulsi i. e. ultro miserescere. Nec verum est, quod illi significari volunt, libenter miseruisse Trojanos; sed plane contrarium docet Aeneae narratio, nam iteratis demum querelis (v. 73 „Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis impetus“ et v. 143 „oro, miserere laborum Tantorum, miserere animi non digna ferentis“) id factum esse legimus. Heynii igitur explicationem quum ipsius vocabuli notio tum contextus non admittit. Vix probabilior autem Servii opinio, qui ultro hic „insuper, praeterea i. e. noch dazu“ interpretatur. Plus, ait, quam rogaverat Sinon, praestiterunt Troes. Sic etiam Wagner in editione tertia p. 156 „ultro hic de eo, quod est amplius: ad clementiam (quae significatur verbis his l. v. damus) accedit etiam misericordia; v. Ge. IV, 204.“ Tolerabilis per se sit ille vocabuli sensus — nolo enim praeter necessitatem repugnare, quamquam reperiri apud Vergilium dubito, — at non quadrat in contextum; continet enim transitus a verbo vitam dare ad miserescere non tantum gradationis, ut ejusmodi particulae hic locus sit, nec „misericordia“ progreditur ultra „clementiam“, licet Gellius VII, 3 „clementiam misericordiamque“ jungit. Genuinam particulae vim servarunt alii, solverunt tamen aut laxarunt saltem interiorem verborum nexum, quo versus in duas quasi partes distraheretur separatimque ablativus ad vitam damus, adverbium ad miserescimus referretur. Auctor hujus explicationis est Doederlein Syn. III. p. 107, qui versum pro sententia potius habendum esse ratus sic interpretatur: „Talibus lacrimis vitam damus et miserescimus (vel) ultro; nedum rogati, ut ab hoc nunc, duri simus.“ Adoptarunt ejus sententiam W. p. 149. G. p. 69. F. II. p. 159 veteruntque K. III. p. 38. L. II. p. 40 „wir haben noch überdies, aus eigenem Antriebe Mitleid, nicht bloss deshalb, weil uns Sinon darum gebeten hat, also auch schon ohne die Bitten des Sinon.“ Id autem si dicere voluit poeta, quod dici volunt recentiores, diserte vel aut etiam addere debebat; nunc vero ipse particulae defectus suadet, ut aliud quidpiam Vergilio in animo fuisse putemus. Nimirum veri ac germani interpretis est, non quod ipsi placet pro lubitu in textum inferre, sed quid cogitaverit poeta, ex ipsius verbis eruere. Praeterea de His lacrimis, quod verborum collocationem ac vim attinet, non recte sentiunt. Compluries in prioribus (v. 69—72. v. 92—104. v. 120—33. v. 137—43) lamentabili voce de sorte sua questus erat Sinon ac postremum flebiliter Priami misericordiam efflagitaverat v. 143 „oro, miserere laborum Tantorum; miserere animi non digna ferentis!“ Summatim denique haec omnia complectitur Aeneas. Cum gravitate igitur ablativus caussae in periodi exordio stat; communiter autem ut ad vitam damus et miserescimus pertineat, tum ipsius collocatio tum mera particula et tum, quae verbis intercedit, praesentis communitas notionisque cognatio postulat. Itaque quum sententiarum connexio particulam ultro nullo sensu admittat, incidendum erit ante, ita ut trahatur ad sequentia. Commodissime profecto ultro ipse i. e. nec rogatus nec interrogatus, Priamus Sinonem vinclis liberasse ac dictis compellasse dicitur amicis. Frequens autem verborum ultro ipse conjunctio: Cic. Quint. 23. Val. Fl. II, 638. IV, 555. VII, 640. 651. Plaut. Pers. II, 5, 26. Trin. III, I, 10. Cas. III, 4, 12. Aul. III, 5, 55. Stat. Theb. I, 592. X, 473. Lact. II, 2. 3 et apud Vergilium II, 279. V, 446

„ultro Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto Concidit,“ ubi ulro pariter versum claudit, sed trahi debet ad sequentem. Nec aliter apud Horatium Sat. I, 7, 17 „discedat pigrior, ultro Muneribus missis.“ II, 5, 75 „cave te roget; ultro Penelopam facilis potiori trade.“ 7, 40 „Tu quum sis quod ego et fortassis nequior, ultro Insectere velut melior.“ Sic cum emphasi I, 664 solus. III, 433 vati. VI, 122 magnum in fine versus, quum pertineant ad sequentia. His expositis, distinguimus ita: His lacrimis vitam damus et miserescimus. Ultro Ipse viro primus manicas atque arta levari Vincla jubet Priamus dictisque ita fatur amicis.

Negat Calchas v. 177 posse Argolicis exscindi Pergama telis, Omina ni repetant Argis numenque reducant, Quod pelago et curvis secum avexere carinis. Respici hic morem imperatorum Romanorum, qui, si quid adversi accidisset, e castris Romam reversi repetebant ibi ac renovabant auspicia, dudum convenit inter eruditos; de singulis tamen vel hodie disputatur. Maxime autem id reprehendunt recentiores, quod H. II. p. 293 numen, quod avexere de ipso Palladio accepit, adjutus a Wagnero, qui numen de simulacro ut v. 183 usurpari addidit. Princeps Voss progr. Crusen. p. 1 numen pro deo vel simulacro, certe tribus locis I, 447. II, 178. IV, 204, stare negavit, in ejusque auctoritate permulti deinceps acquieverunt. Atqui numen simpliciter nec solere nec debere dici de statua vel effigie, concedendum utique erit: communi tamen antiquitatis sententia numen dei ita cum signo ejus conjunctum videbatur, ut distingui alterum ab altero et separari prorsus nequeat. Ergo ut dea v. 227 et Vesta v. 296 et victi dii v. 320 haud dubie de simulacris dicuntur, sic etiam numina deorum pro diis per imaginem vel statum expressis accipere licebit. Magnas turbas tamen excitavit Vossii annotatio ad nostrum locum: „Sie sollen den Willen der Gottheit von neuem herbeiholen, ihre Entscheidung von neuem erforschen, mit welcher sie ausgeschifft sind. Omina und numen entsprechen sich, so wie letzteres im folgenden Verse seine Erklärung findet.“ Veram esse hanc explicationem praedicavit Weickert p. 10 „Ergo numen non erit de simulacro intelligendum. Heynii explicationem si sequaris, Graecos palladium avexisse in Graeciam, ut sibi servarent, statuendum est, quod eo magis videtur absurdum, quod verba secum avexere non aliter quam de universis Graecis intelligi possunt. Quis autem putabit, ut palladium Trojanis ereptum in Graeciam aveherent, omnes Graecos solvisse naves, cui negotio pauci erant praeficiendi? Neque omnino prius in Graeciam ablatum esse legimus palladium, quam eversa Troja totus rediret Graecorum exercitus.“ Sed non meminit, fingi haec omnia et componi a Sinone, nec igitur metiendam esse ejus narrationem veritate ipsius rei. Ceterum ex „Vossii interpretatione unice vera“ commendationem quandam nancisci ait lectionem advexere sc. in Troadem, ita ut poeta de expeditione ante decem annos a Graecia suscepta cogitasse censendus sit. Et obstat vel maxime Codicum lectio interpretationi Vossianae, enimvero numen, quod carinis secum avexere e sententiarum connexione, nisi de Palladio brevi ante memorato i. e. de simulacro deae, intelligi non posse, cuilibet apertum erit. Vossium secuti, recentiores voluntatem ac gratiam divinam significari voluerunt, ita ut numen reducant fere idem esset quod omina repetant; servarunt tamen plurimi lectionem avexere. Contra L. II. p. 48 advexere in textum recepit et G. p. 71 vel

exsecando versu 177 sanare locum in animum induxit, ortum eum esse ratus „ex errore, quo quis putabat, numen esse simulacrum.“ Denuo nuper pertractavit quaestionem Dietsch Theol. Verg. p. 7 ac numen statuae aut imaginis significationem habere, obstinate negat. Sed contendi id unum in „Explicationibus Vergilianis“ p. 13, per numen etiam deum significari statua vel imagine expressum, et contendo etiamnunc; Dietschii autem argumentatione me non modo non labefactatum sed magis etiam confirmatum esse, ingenue confiteor. Primum ille prolixius de loco IV, 204 disserit, ubi Jarbas ante aras media inter numina divom multa orasse dicitur. Quamquam autem II, 320 sacra victosque deos necessario de imaginibus deorum manu portatis intelligi ait, tamen mavult de ipsis diis in templo praesentibus quasi, quam de statuis deorum cogitare, quae et apposito media et praepositione inter satis manifesto indicantur. Altero loco II, 183 Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso Effigiem statuere, nefas quae triste piaret probabiliter explicari „pro Palladio rapto proque laesa eo divina potentia Palladis,“ haut diffiteor; sed plane diversa est ratio nostri loci, quem postea tractat. Hic enim numine necessario imaginem illam i. e. Palladium significari apparet. Gravissimum ei sententiae obstare vult, quod Palladium tum demum per Graecos a Troja avectum esse certissimum sit, quum cuncti in patriam redirent. Sed plane immemor est aut videtur esse vir Illustrissimus, Sinonis commenta hic referri. Quaerenti autem „quomodo Calchas suadere potest, ut reducant imaginem, quam nondum avexerunt“? respondemus, quod jam pridem intellexerunt interpretes, adjectum esse versum 179 a Sinone; id quod satis manifestum fit perfecto indicativi avexere. Vossii sententiam in verbis inesse non posse neque avehere secum numen recte dici eos, qui faustis ominibus acceptis navigent, Forbigero, quippe qui jam addubitasset illam, prompte concedit, quamquam dictis ejus fidem habere recusat. Ipse reducere satis cupide ex Ter. Adelph. V, 3, 43 interpretatur reconciliare et numen de omnibus diis intelligit, ita ut verbis numenque reducant nihil aliud dicatur, nisi quod infra v. 180 deos parant comites. Versum autem 179, quum nullo modo cum reliquis conciliari possit, ab insulso interprete assutum esse sibi persuasit. De tertio loco I, 447 repetere hic, quae accuratius Explic. Verg. p. 12 exposui, non attinet. Maluit vir doctissimus omnibus libris MSS. obviam ire, quam missam facere opinionem, numen, quoniam proprie non ipsum deum sed ejus naturam significet, nullo modo dici posse pro statua vel imagine dei. De apparentibus diis infra v. 623 „Apparent dirae facies inimicaque Trojae Numina magna deum.“ Satis audacter Peerlkamp I. p. 104 conjecit turpi secum avexere rapina; Henryo autem, qui Philol. XI. p. 603 advexere cum Ladewigo scripsit, versu 179 non posse expeditionem ex Troja in Graeciam significari, eo extra omnem dubitationis aleam positum videbatur, quod subsequuntur verba Et nunc, quibus cursum in Mycenas opponi vult cursui, de quo nostro loco dicatur. Sed pertinent illa ad Arma deosque parant comites, non vero, ut visum est Peerlkampio, ad quod patrias vento petiere Mycenas. Quod autem bis Sinon Graecos in patriam avectos memorat, vix quisquam mirabitur; nam id potissimum persuadere voluit Trojanis, quo omnem imminentis periculi metum removeret. Rectissime Wagner Lect. Verg. p. 315 genuinam lectionem avexere, postpositam illam deteriori advexere a Ladewigo falsae interpretationis gratia, defendit, in tertia editione p. 157 autem haec scripsit: „Etsi non

solet numen simpliciter dici de statua, tamen numen ac praesentia dei ita cum signo ejus conjuncta videbantur, ut recte dicatur et avehi numen et reduci.“

Praemittuntur narrationi de Laocoonte v. 200 Hic aliud majus miseris multoque tremendum Objicitur magis atque improvida pectora turbat. Annotaverat ad improvida pectora H. II. p. 296 „Trojanos, qui tale quid non praeviderant. Repentinum et inopinatum prodigium, quod adeo tanto magis animos turbat ac percellit;“ vituperatus a Wunderlichio, qui „Trojanos credulos et a Graecorum dolo sibi non caventes“ designari maluit. Atqui sermo fuerat supra v. 54 de laeva mente Trojanorum, eosdemque v. 106 ignaros scelerum artisque Pelasgae et brevi ante v. 195 captos dolis lacrimisque coactis dixerat: tamen, quominus ad priora referamus epitheton, quum ipsius vocis notio tum sermonis brevitas impedit. Sane si dixisset, pectora jam improvida magis etiam turbasse novum monstrum, minus intercederem; nunc vero, ut arctius improvida jungamus cum verbis pectora turbat, suadet vel particularum defectus. Jure igitur hanc interpretationem, probatam dein Wagnero, improbavit Weickert p. 10: „quod Trojani decepti erant et circumventi dolis, id nihil pertinebat ad monstrum illud. Ferri ideo minime potest Wunderlichii interpretatio, quia, si eam ratam habeas, sumendum erit, et Minervam conspirasse cum Sinone, quod indignum, et nisi dolis Sinonis capti fuissent Trojani, monstrum non oblatum fuisse spectantium animos turbaturum.“ Interpretatus est ipse, falso ad Heynii auctoritatem provocans, improvida pectora per consequens: „perterrita (überraschte)“ et agnoscit prolepsin adjectivi. Eandem nuper statuerunt L. II. p. 49. W. p. 158 „turbat pectora ita, ut fierent improvida,“ et adeo praecipites eam rem egisse Trojanos monent, ut omissa omni cautione facerent (cf. v. 227 seqq.), quod Sinon optabat. At mihi, ut Henryo Philol. XI. p. 604, qui per improvida turbat unum verbum „alarms“ exprimi voluit, aequo durior videtur esse haec ratio nec satis conveniens utriusque vocabuli notioni. Proprie attributum pertinere puto ad aliud majus multoque magis tremendum, quod jam objicitur miseris, ita ut subitam hic nec opinatam turbationem Noster designet. Nil tale providerant Trojani eoque magis perterriti sunt, quia, recte ut a Landino notatum est, repentina majorem perturbationem afferunt. Sic etiam Cicero Tusc. III, 14 „Omnia, quae mala putantur, sunt improvisa graviora.“ Denique comparare licebit alterum Ciceronis locum, nostro vel simillimum, Lig. 6 „Fatalis quaedam calamitas incidisse videtur et improvidas hominum mentes occupavisse.“ Restituimus igitur Heynii interpretationem, sine probabili caussa a recentioribus relictam.

Coepit nox describi, qua cecidit Ilion, v. 250 Vertitur interea caelum et ruit oceano nox, Involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos. Non satis respectum habuere interpretes attributi, quod nocti hic additur; diligentius igitur verborum vim excutiemus, ut iis, quae paulo post dicentur, via quodammodo praemuniatur. Persuasum autem illis fuit, ad Graecorum poetarum imitationem Vergilium hic noctem descripsisse candidam ac serenam; cui rei quum epitheton illud repugnare videretur, alii reticendo id dissimulare, alii explicando efficere conati sunt, ut tolleretur vel potius subduceretur, quae est repugnantia. Perperam H. II. p. 304 umbram magnam dici voluit ut Ge. II, 338 „magnus orbis;“ nec aptius est, quod Th. I. p. 156. F. II. p. 174 protulerunt, „quia caelum et terra i. e.

mundus ipse, quem noctis umbra amplectitur, magnus est." Profecto enim magna umbra, nisi „obscura" (VI, 452) vel „atra" (Val. Fl. V, 95) vel „nigra" (Lucr. IV, 341) vel „densa" (Hor. Od. I, 7, 21) esse non potest. Quid quod vel metri ratio spississimas adumbrat tenebras? Latius de hoc versu in Archiv f. Phil. XVIII. 3. p. 436 disserui, nec repetere ad verbum dedignatus est Ladewig in altera editione, quae ibi a me dicta sunt: „Der spondeische Versbau veranschaulicht den schweren Druck der Alles beherrschenden Finsterniss;" nihilo secius idem haud ita multo post lunae splendorem fuisse statuit. Obscurissima nox in posteris quoque identidem significatur; nam vocatur v. 360 atra. v. 397 caeca. v. 420 obscura, quibus accedunt v. 621 spissae umbrae noctis. Adversatur id unum, quod infra v. 340 Hypanis Dymasque Aeneae oblati per lunam fuisse dicuntur; illic igitur aut illuxisse lunam aliquamdiu existimandum erit, aut non satis memorem fuisse poetam eorum, quae ante scripserat. Utut est, certe uni loco non tantum momenti tribui debet, quantum ceteris omnibus. Quo densiores autem noctis tenebrae erant, eo magis Myrmidonum dolos involverunt. Inveterata quidem fuit ac longe lateque diffusa, maxime apud Graecos poetas, opinio, captum fuisse Ilion tempore plenilunii: at discrepans hic, ut saepissime alias, a vulgari ratione Vergilius ad augendum rei horrorem noctem fingit, qualem Ovidius Met. X, 448, ubi fabula de Myrrha narratur. Lunam ibi et sidera se abscondidisse ait, ut res tam atrox in densissimis perpetraretur tenebris: „Fugit aurea caelo Luna; tegunt nigrae latitantia sidera nubes; Nox caret igne suo."

Demonstravi ante aut videor certe mihi demonstrasse, noctem describi a Marone caliginosam. Hinc proficiscatur necesse est, qui sequentia inde a versu 254 Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae Litora nota petens, flammas quum regia puppis Extulerat recte interpretari velit. Vexatus olim diversis doctorum explicationibus hic locus (Politian. Obss. Syll. II, 100 v. Gruter. Thes. crit. I. p. 117. Parrhas. Epist. I. Turneb. Advers. XII, 5. Scalig. de emend. temp. V. Luisin. Parerg. II, 13. Muret. Epist. III, 50. Barth. ad Stat. Theb. II, 58. Torrent. ad Hor. Od. I, 25. Fernand. Didasc. XXXII); inter recentiores satis convenit tacitae silentia lunae ornate pro noctu dici, ex quo H. II. p. 304 haec notavit: „Silentia noctis saepe apud poetas. Nunc Virgilius silentia ad Lunam transtulit, quod magis etiam poeticum; quumque silentia Lunae per se recte dici possint pro nocte, sive Luna fulgeat sive lateat (quamquam latentem lunam sic pro nocte dici a Vergilio Wagner ambigit), poeta tamen versu 340 oblati per Lunam satis declarasse videtur, se lunam cum ratione posuisse, adoptata eorum opinione, qui Trojam plenilunio excisam tradiderant." Optime igitur exprimi altum illud gratumque noctis silentium, quando luna serena campos jacentes illustret, communis fert opinio; fatetur tamen F. II. p. 174, si versus 340 et fama illa de Troja plenilunio capta non esset, se praelaturum fuisse Politiani explicationem, quum alias luna silens minime lucentem significare soleat, et interlunium insidias magis adjuvet quam plenilunium. De versu 340 et tralaticia illa de plenilunio narratione supra sermo fuit. Necessario id excluditur vel proxime antecedentibus; jam vero de ipsis videamus verbis. Ac primum quidem silentia lunae esse, quam alias vocant lunam silentem, nemo non intelligit. Silente luna, ter apud M. Catonem R. R. c. 20. 40, 1. 50, 1 memorata, jubet Columella II, 10, 11 fabam velli, deinde, quum in area exaruerit,

confestim, priusquam luna incrementum capiat, excussam refrigeratamque in granarium conferri, unde apertum fit, interlunium designari. Diserte id affirmat Plinius H. N. XVI, 74, ubi de coitu lunae loquitur, „quem diem alii interlunii, alii silentis lunae appellant;" cf. XVIII, 74. Ergo vel hanc ob caussam de plenilunio cogitari non poterit. Provocavit cum Henryo Philolog. XI. p. 608 Ladewig II. p. 52 ad Statii Theb. II, 58 locum, ubi aliger Majae filius „per Arcturum mediaeque silentia lunae Arva super populosque" measse narratur; sed animadvertas quaeso, quantopere is fefellerit virum doctissimum. Haud dubie luna, ut saepissime alias, pro nocte dicitur; est igitur media luna apud Statium „Mitternacht." Sic demum silentia lunae Vergiliana suam habent interpretationem; eam autem quo magis teneamus, duplex efficit epitheton. Insuper enim tacita vocatur luna. Locos Horatii Od. II, 8, 10 et ipsius Vergilii Aen. III, 515, quos conferri volunt interpretes, huc non quadrare arbitror. Ut tacere saepenumero pro non esse (Sen. Med. v. 166. Ovid. Am. I, 4, 66. Liv. IX, 6. Petr. Sat. 134), sic etiam tacitus. Ceterum quod ita frequens est loqutio tacita nox (Ovid. Met. IX, 474. Her. XVIII, 78. Fast. II, 552) vel silentia noctis (Varr. L. L. V, 2. Liv. V, 32. Sil. V, 2. Lucan. V, 508) hic quoque ausit quis, si minus legere noctis pro lunae, ut est in Carmine 15 Paullini „tacitae per amica silentia noctis," at interpretari saltem, quum lunam pro nocte poni quodvis doceat lexicon (cf. Stat. Silv. V, 4, 7. Verg. Ge. III, 336. Prop. IV, 4, 21. Stat. Theb. VI, 229); negat tamen id fieri Peerlkamp, nisi lucente luna. Sed ut largiamur, quod Heynio placuit, lunam in universum pro nocte dici, tamen cur eo confugiamus, non videtur esse. Tacita luna hic ut Sen. Med. v. 166 „tacens ventus." Superest, ut de altero disseramus attributo. Quo sensu tacitae silentia lunae dicuntur hic amica? Ait Heyne „grata et faventia insidiis Achivorum," recte quidem, sed non convenienter sensui, quem inesse voluit verbis tacitae silentia lunae; solae enim noctis tenebrae Graecorum insidiis favebant, ac satis expresse leguntur in praecedentibus, magna umbra involvisse noctem Myrmidonum dolos. Quod non fugit Peerlkampium: „Amica silentia lunae vix aliter accipi possunt quam lunae, quae amico splendore viam iis monstrabat. Sed hoc primo non requirebatur, nam petebant litora nota et intervallum erat exiguum, Tenedos in conspectu. Deinde lunae splendor insidiis plus nocebat quam favebat; et Trojani, nisi somno et vino jacuissent sepulti, facilius dolos Grajorum per amica illa lunae silentia deprehendissent. Sed Trojanos temere et imprudenter dormire, Graeci ignorabant. Sola igitur nox Graecis favebat et noctis altum silentium. Hoc silentium Aeneas inprimis auget, ut Dido sentiret, Trojam non palam luce sed furto et nocte, quando omnia quiescebant, fuisse captam." Praeclare haec omnia pro ingenii sui acumine exposuit vir clarissimus; at nimio emendandi studio abreptus textum dein sollicitavit. Itaque pro amica scribendum censet muta, quo per tacitae muta silentia lunae hic, ut apud Ovidium Met. VII, 184, quanta esse possit maxima taciturnitas exprimatur. Idem vero, ut ostendi, mutata efficit interpretatio, ita ut Codicibus obviam ire non opus sit. Ne multa! nox erat, qualis infra III, 585 dicitur: „Nam neque erant astrorum ignes nec lucidus aethra Siderea polus; obscuro sed nubila coelo Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat." In tantis autem tenebris ut Argivam phalangem et rectam tenuisse viam et instructis ivisse navibus verisimile esset, consulto duplicem Noster rationem adjecit; nam litora nota

petebant Graeci ut III, 657 caecus Polyphemus, et insuper flammas extulerat regia puppis. Arctissime igitur id enunciatum, ut interiorem loci nexum hic breviter ac summatim aperiam, cum prioribus cohaeret nec debet ad sequentia trahi, quod tamen editoribus placuit. Adhuc de iis dicendum est, quae Dietsch Theol. Verg. p. 22 de nostro loco in medium protulit. Verba autem illa tacitae per amica silentia lunae sic a Vergilio scripta esse, nullo modo sibi persuadere potuit. „Etenim quominus lunam splendentem cogitemus obstat, quod tum neque flammae signum ita facile cerni potuit, et Graeci adventantes Trojae incolas, nisi forte omnes obsopitos putas, minus latuissent, tum quod silentem lunam de interlunio dictum esse constat. Sed lunam non apparentem ne fingi quidem posse ostendit v. 340, nisi forte ad illud confugere mavis, quo turpissima quaeque defendi soleant, in carmine imperfecto, quae inter se repugnent, non admodum miranda esse.“ Itaque, quamvis dubitans, venisse sibi in mentem professus est tectae per amica silentia lunae, ut luna illo ipso temporis momento nubibus obscurata ad ceteras res divinitus in Graecorum utilitatem provisas accessisse diceretur. Hanc vero opinionem quum interlunii notio, tum quae identidem infra (v. 360. v. 397. v. 420. v. 621) describitur perpetua noctis obscuritas, prorsus non admittit.

V. 396 Vadimus immixti Danais haud numine nostro. Ablativo haud numine nostro designari deos non propitios, sed aversos, communis est opinio. Unus hanc explicationem addubitavit Dietsch Theol. Verg. p. 9, quem huic meae disputationi novitatis gratiam praeripuisse confiteor, quamquam de medela loco adhibenda mihi non convenit cum viro doctissimo. Primum ille, quod voluerunt editores, pronomina possessiva ita dici, ut aliquid alicui aut exoptatum aut debitum aut utile significaretur, refutare studuit, pertractatis his Vergilii locis: Ge. IV, 22. Aen. XII, 187. XI, 374. V, 832 et collatis Ovidii Her. II, 126. Met. IV, 373. Her. XII, 84. Met. XIII, 195, Ciceronis pr. Mil. §. 3, Tibulli III, 3, 28, Horatii Epod. IX, 30. Adjicio equidem, vix alibi non noster sic reperiri pro non favens nobis. Deinde merito offendit ille in singulari numero. „Quod si“ — ut ipsum loquentem inducamus — „de omnibus diis aut de universa divina natura dici putatur, rerum veritati repugnat, quum omnium deorum a se alienatos animos fuisse vere Aeneas dicere nequeat, ideoque exspectatur haud nostris numinibus; deinde ut vel hoc missum faciam, si ambiguitatem omnem removere vellet poeta, scribere certe debebat haud nostro numine divom.“ Atqui in sequentibus identidem (v. 402. 428. 602. III, 2) invitis diis vel inclementiae divom vel superis in universum Trojae excidium imputatur; eatenus tamen Dietschio adstipulor, quod et ipse haud nostrum numen non bene sic dici existimo. Sed multo plus momenti tribuendum est iis, quae postea leguntur. „Ad quae omnia accedit alia dubitatio, quae mihi ex rerum nexu atque conjunctione oboritur. Apertum enim est, tolli gravitatem ac vim περιπετείας — cur enim hoc vocabulum ab tragoediis ad carmen epicum transferri non liceat? — si eadem sententia, quae sequitur v. 402, jam versu 396 expressa sit, ut jam teneant legentes, quae feliciter peracta commemorentur, omnia irrita fuisse. Quod tantone poeta, quantum Vergilium fuisse omnes semper consenserunt, dignum est?“ Vellem distinctius etiam enuntiasset, qui vulgo statuitur verborum sensus, loci contextu prorsus non admitti. Nam ad vadendum vix opus erat auxilio divino. Accedit, quod initio vel felicissime Aeneas cum suis pugnat, ita ut aversis diis hic certe non

locus sit; etenim postea legimus „Multaque per caecam congressi proelia noctem Conserimus, multos Danaum demittimus Orco. Diffugiunt alii ad navis et litora cursu Fida petunt, pars ingentem formidine turpi Scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.“ Infra demum v. 402 coepit Aeneas invitos divos experiri. Illic igitur περιπετείας exordium; sin autem praesciebat, adversum esse numen, nil omnino fidere debebat. His de caussis alia circumspicienda erit aut lectio aut interpretatio. Et audaciore conjectura emendandum censuit locum Dietsch Vadimus immixti Danais indumine falso. Quum enim indumentum ab latinis scriptoribus dictum sit, quin Vergilius indumen adeo novare potuerit, non dubium ei videtur, et quamvis nullum ejus vocabuli exemplum noverit, tamen per analogiam defendi opinatur. Ecquis tamen plane novum et inauditum hic tolerabit vocabulum? Porro languidum est, quae vel luculentissime praecedentibus expressa sunt, repeti hic, quum ex iis, quae inde a v. 389 ad v. 395 usque narrantur, quomodo factum sit, ut Danais immixti, tamen ignorati ingrederentur, jam satis superque appareat. Insolens autem vocabulum indumen et glossam haut nostro, ad falso adscriptam, corrumpendi loci ansam praebuisse, mihi quidem nemo persuadebit. Si opus esset emendatio, scriberem cum Nonio p. 143 nomine, quod duplicem habet explicationem; nec facilior aut esse aut cogitari potest correctio, quum saepenumero nomen et numen in libris MSS. confundi nemo ignoret. Sed interpretatione sublevandum esse locum puto. Debet autem numen nostrum pariter hic sumi, atque I, 133 „meo sine numine.“ VI, 266 „numine vestro“: praeterquam quod hominibus tribuitur. Sic Cicero vel senatui (Phil. III, 13. ad Quir. 8. cf. Liv. VII, 30) vel populo Romano (Quir. Red. 8), Ovidius Caesari (Trist. V, 3, 46. A. Am. I, 203) quin etiam dominae amatae (Am. II, 18, 17) numen tribuit. Proprie autem haud numine nostro referatur ad epitheton; ita ut praeter suam voluntatem i. e. invitos sese et suos vasisse dicat Aeneas Danais immixtos.

Jam accedimus ad v. 423 Apparent; primi clipeos mentitaque tela Agnoscunt atque ora sono discordia signant. Sermo de iis est, quos obscura nocte per umbram Aeneas fuderat cum suis ac tota urbe agitaverat; nec mirum, quod primi agnoverunt hi arma sociis adempta ut „comantem Androgei galeam clipeique insigne decorum“ v. 329 et alia ejus generis spolia. Quare cur Ribbeck II. p. 102 primi mutaverit in Priami, non video; nec Priami clipeos ac tela pro Trojanis armis in universum bene dici existimo. Id in manifesto est: sed quo sensu ora sono discordia dicuntur signare? H. II. p. 327 vult esse „agnoscunt“ additque „sic notare etiam vulgari sermone, et σημειοῦσθαι, τεκμαίρεσθαι. Porro ora sono discordia pro, observant discordiam et discrepantiam sermonis.“ Pariter W. p. 165 „soni quadam proprietate tamquam signo aliquo cognitam declarant diversitatem quandam oris ac loquelae.“ Vertit autem L. II. p. 59: „an dem Tone, der Aussprache, machen sie den übrigen Griechen .... kenntlich.“ Sed reliquorum Graecorum nulla hic mentio fit, nec signare est „cognoscere“; nedum „signo aliquo cognitum declarare“. Porro quid opus erat docere socios? Nam hi sermonis discrepantiam aeque cito agnoscere poterant vel debebant; nec igitur epitheton primi ad alteram versus partem referendum erit. Ergo melius sit mutata loci structura ita interpretari, ut ora sono discordia non pro objecto, quod omnibus adhuc visum est, sed pro subjecto sumantur, et particula atque suam hic habeat emphasin. Sic ori-

tur sensus haud scio an probabilior: „Sie zuerst erkennen die falschen Waffen und auch die Verschiedenheit der Aussprache macht kenntlich".

Procubuisse dicitur Coroebus v. 425 divae armipotentis ad aram dextra Penelei. Quae H. II. p. 328 statuit, non tam in ipso templo Minervae, quam potius ante templum in προνάῳ vel in περιβόλῳ occisum esse Mygdonidem, vel hodie (W. p. 166. L. II. p. 59) agnoscunt; at mihi dubia videntur esse. Supra enim v. 403 non abstractam esse Priameïam virginem, sed trahi legimus a templo adytisque Minervae; Coroebum autem, licet periturus sese medium in agmen injecerit, furiata mente tamen interiora templi petiisse verisimile est, ut sponsae succurreret. Ac multo efficacior fit descriptio, si procumbentem cogitamus ante aram in ipso templo, quam in nescio quo pronao, cujus nulla hic mentio fit. Sit expressum ita in tabula Iliaca n. 104, cui aliquantum momenti tribui videtur; sed aliam esse rationem artis statuariae vel picturae, aliam poetices, docuit noster Lessing.

Dissentiens a reliquis, L. II. p. 64 ad v. 533 Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur, Non tamen abstinuit nec voci iraeque pepercit haec annotavit: „obgleich er beim Todeskampfe des Polites zurückgehalten wird. Der Zorn vermag also mehr über den Greis als der Schmerz." Rectius tamen Heynium II. p. 243 verba illa de „praesenti mortis periculo" intellexisse puto, quod ipsi Priamo imminebat. Nam aequo durius sit ad mortem supplere „Politis", quum proxime antecesserit Priamus; ac prorsus languet ita epitheton media, nec, quae sit illius antitheti vis, intelligere me fateor. Latinum autem esse in morte teneri, docet locus Livii IV, 35 „in manifesto peccatu teneri" i. e. versari; ac promiscue idem scriptor teneri foedere (XXIV, 19) et teneri in foedere (I, 52) jungit; cf. Cic. Verr. II, 78. III, 89. Porro simplex tenetur si acceperis pro composito retinetur, potius exspectes „tamen processit" vel „invasit Pyrrhum". Aptius igitur ipse in media jam morte (cf. Val. Fl. I, 821. III, 326. Stat. Theb. VIII, 730. XI, 555) teneri dicitur Priamus, quum quasi „in leti faucibus" (Claud. VIII, 58) sit; tamen, ut Valerius Flaccus VI, 630 ait, „moriturus ingentes animos" comprobat.

Distingui solet v. 554 Haec finis Priami fatorum, hic exitus illum Sorte tulit, ita ut genitivus fatorum obnoxius sit substantivo finis; sed mihi quidem juncturam finis fatorum offensioni esse, ingenue confiteor. Sufficit finis Priami, quum vox illa saepenumero de vitae exitu usurpetur (Tac. Ann. XV, 63. Hist. I, 37. Vell. Pat. II, 133); nec aliter apud Silium X, 305, cui Nostrum obversatum fuisse liquido apparet: „Hic finis Paulo; jacet altum pectus et ingens Dextera." Sane, si longa ac continua serie Vergilius ante fata Priami enumerasset, minus repugnarem; nunc vero, quum inde a v. 506 de fatis tantum i. e. de una sola morte regis narretur, ejusmodi additamento omnino non opus est. Contra quae sequuntur hic exitus illum Sorte tulit fatorum accessione indigent, quo pleniora fiant omnique parte absoluta; et ipsi supplere solent interpretes auctore Servio (H. II. p. 344. G. p. 94. F. II. p. 214. W. p. 162) ad Sorte vel fati vel fatali. Ergo quum genitivus in priori versus parte supervacaneus, quin etiam molestus sit, in posteriori ad explendam sententiam vel maxime necessarius: quidni ante fatorum incidamus, quo genitivus dissolvatur ab antecedentibus, jungatur cum sequentibus? Nec raro apud veteres fati vel fatorum sors (Lucan. IX, 1047. Manil. III, 132. Claud. XXVIII, 283) junctim reperitur; Curtius quoque X, 1, 30 „fatum, cujus inevitabilis sors est." Cum emphasi autem genitivus fatorum pronomini demonstrativo hic praemittitur, ut III, 714 „Hic labor extremus, longarum haec meta viarum." Similiter in anaphora particulae si III, 334 „si qua est Heleno prudentia, vati Si qua fides, animum si veris implet Apollo;" vel pronominis interrogativi quid VI, 122 „Quid Thesea? magnum Quid memorem Alcidem?" Diligentius haec omnia in Archiv f. Phil. XVIII. 2. p. 311 exposui, assenseruntque mihi ex recentioribus praeter Ladewigum etiam Haupt et Ribbeck; vituperator nuper exstitit Wagner in Lectionibus Vergilianis p. 416, hic quoque ut alias inveteratae, ne dicam obsoletae, opinionis sese praestans vel tenacissimum. Primum in hac caussa veterem scriptorem habere me adversarium monet, quum Gellius XIII, 20 conjungat, quae a superioribus editoribus jungebantur Haec finis Priami fatorum; „qui enim" — ut ipsum disserentem faciam — „his melius nosse possunt, quid rectum sit." At vero non tantam Gellio in his rebus fidem deberi, ut dictis ejus obviam ire nefas sit, neminem fugit; accedit quod Noctium Atticarum scriptor ibi de genere feminino vocabuli finis loquitur, juncturae verborum autem finis Priami fatorum obiter tantum et in transcursu mentionem facit. Certe non minor est auctoritas Silii, qui X, 305 Vergilium haud dubie expressit, cuique alias (v. ad II, 56) ipse se praebet vel maxime obedientem; nec multum differt a Maronis Siliique dictis Lucanus II, 131 „Ille fuit vitae Mario modus." Quod secundo loco posuit, ipsam emphasin, quae sit in pronominibus Haec . . . hic, utrique principem in suo enunciato locum attribuere, invito Vergilio positum est, qui tribus locis III, 334. 714. VI, 122 supra laudatis pariter anaphorae vocem praemittit, in qua praecipuam inesse vim voluit. Nec igitur vituperare debebat Ladewigum: „quasi vero Aeneas non narrare et deplorare velit, ut debuit, fata Priami, sed docere audientes, non contra fata, sed secundum fata Priamum eum exitum habuisse; praesertim quum ipse in commentariis p. 170 Sorte satis audacter interpretatus sit „fato, ut ei erat fatale." Neque „simplicissimis verbis" repetit ita, ut Wagnero placitum fuit, Aeneas finita rerum expositione summam rem, sed multo major est verborum simplicitas, si scribuntur Haec finis Priami.

Transgrediamur nunc ad v. 576 Exarsere ignes animo; subit ira cadentem Ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas. „Paulo insolentius" H. II. p. 348 dici vult sceleratas poenas pro poenis a scelerata femina sumptis; malle tamen se profitetur sceleratae sumere poenas, ut infra leguntur merentis sumpsisse poenas. Pedisequos habuit inter posteriores W. p. 163. K. III. p. 53, quorum alter vertit: „Rache nehmen an der verbrecherischen Helena." Jure spreverunt explicationem eam G. p. 95. L. II. p 66, quibus nuper admodum Wagner accessit, sed ipsi interpretationem protulerunt, meo quidem judicio, minus etiam probabilem. „Scelus," dicunt, „futurum erat, interficere supplicem ad aras sedentem." Auctor sententiae hujus est Meyer progr. Utin. 1842. p. 10, qui sceleratus esse vult „sceleris alicujus vel hominum scelestorum contagione pollutus" et interpretes reprehendit non satis memores discriminis inter sceleratus et scelestus. Sit usurpatum ita, ut dixit, duobus illis Vergilii (Aen. II, 230. III, 60) locis adjectivum: sed quominus cum Wunderlichio (Th. I. p. 194. F. II. p. 217) „poenas sceleris" dici putemus, ut infra XI, 258 leguntur, quid tandem impedit? Sunt igitur sceleratae poenae, si quid video, eae poenae, quas ipsum scelus tamquam suas sibi

requirit i. e. merentes poenas v. 585. Similiter, ut de aliis exemplis taceam, III, 44 crudeles terrae sunt „das Land der Grausamkeit“ et litus avarum „das Ufer der Habsucht.“ Adsentiri autem Meyero vetant nos (cf. Archiv f. Phil. XVIII. 3. p. 447), quae brevi post scripta leguntur v. 585. Ergo laudabile aliquid Aeneas sibi facere videtur, dum cadentem ulciscitur patriam et poenas sumit a communi Trojae Graeciaeque Erinnye.

In ipsis verbis modo laudatis v. 585 sumpsisse merentis Laudabor poenas ambiguum est participium merentis; nam, sitne genitivus singularis an accusativus pluralis, quaeritur. Secundum esse casum voluit H. II. p. 349: „poenas merentis“ exquisite pro „a merente.“ Retinuit quidem Wagner merentis, ita tamen, ut accusativum esse statueret, quum de structura poenas sumere alicujus dubitaret. Ipse participium passive usurpari contendit; sed aliena sunt, quae attulit exempla (Gell. XIX, 7. Tac. Ann. III, 45; cf. Gronov. Obss. I, 14); neque omnino talem participii usum firmari puto veterum locis. Maluerunt igitur recentiores (S. p. 350. G. p. 96. F. II. p. 218. L. II. p. 66) ad Heynii exemplar interpretari „poenas sumere a vel de merente“ ac vertere „Strafe an der Schuldigen;“ sed desiderantur ejus structurae exempla; nam, quae afferri solent Aen. II, 229. VII, 307. Val. Fl. II, 101, minime huc cadunt. Neque persuasit nobis Jacob Disquisit. Virg. I. Colon. 1829. p. 14, commendabilem esse hanc expediendae difficultatis viam. Quae quum ita sint, recte, credo, dixit sagacissimus ille Batavus I. p. 143: „poenas alicujus sumere vix Latinum est, minus etiam poenas merentes pro meritas;“ adjectis insuper his „Poenae merentes, quomodo explicari possint, non video.“ Tu igitur mecum (Archiv f. Phil. XVIII. 3. p. 448) e verbo sumpsisse supple infinitivum passivi sumi, ita ut poenae sumi merentes hic designentur i. e. meritae. Conferas velim v. 229 „scelus expendisse merentem i. e. expendere Laocoonta ferunt“ et X, 492 „Qualem meruit i. e. remitti Pallanta remitto.“ Tacite hanc meam explicationem receptam video a Wagnero in editione tertia p. 171 „sumi merentes s. merito sumendas.“

Aliam ac diversam esse loci connexionem, atque prioribus placuit, puto equidem v. 601 Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae Culpatusve Paris, divom inclementia, divom, Has evertit opes sternitque a culmine Trojam. Communiter pertinere verbum evertit sternitque ad Tyndaridis faciem et Culpatum Paridem et divom inclementiam, ita ut triplex sit subjectum, omnes adhuc persuasum habuere: ambigitur id unum inter eruditos, utrum dativus tibi melius ad epitheton invisa an ad verbum evertit sternitque trahatur. Junxit H. II. p. 351 tibi invisa, eoque magis pronomini hic locus videtur esse, quod brevi ante v. 567 Aeneas odium suum Helenae diserte confessus erat. Contra Wagner: „Melius tibi, quod habet doloris significationem (vid. ad. I, 261), cum verbo evertit junges.“ Aptior utique fit verborum nexus, si majori signo post Paris incidamus, ut duarum hic enunciationum antitheton existat, quale est apud Homerum Od. I. 347, quem Nostro hic ante oculos fuisse satis apparet. Construimus igitur „Non Tyndaridis facies invisa Lacaenae tibi culpata vel Paris culpatus est,“ ita ut e subsequentibus repetatur vox culpata. Hor. Sat. I, 2, 63. Sic culpatus ap. Macrob. Sat. VII, 6. Vide Muetzell. X. p. 277.